DE ANTIQUISSIMIS

DIANAE

SIMULACRIS DELIACIS

DE ANTIQUISSIMIS
DIANAE
SIMULACRIS DELIACIS

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THEOPHILUS HOMOLLE

ADJECTAE SUNT TABULAE UNDECIM

PARISIIS
APUD VIDUAM ADOLPHE LABITTE
BIBLIOPOLAM BIBLIOTHECAE PUBLICAE
4, VIA DICTA DE LILLE, 4

MDCCCLXXXV

ALBERTO DUMONT

DOCTISSIMO MAGISTRO ET DULCISSIMO

QUI STUDIIS MEIS FAVIT

ME DILEXIT

1874-1884

PROOEMIUM

Quas Delus insula in antiqua sculpturae graecae historia partes obtinuerit. — Quomodo inventa illic simulacra studiis meis occasionem dederint. — Quae sit libri conscribendi materies ac ratio.

I

Cum omnes ubique homines, seu aedificiis exstruendis, seu effingendis imaginibus materiem accommodare soliti sint, quam natura soli suppeditabat, haud mirum est si maris Aegaei insulani, parii lapidis copia et pulchritudine allecti, primi omnium Graecorum marmore sculpendo feruntur inclaruisse. Plinius ergo tradit antiquissimos sculptores marmore tantum candido usos esse e Paro insula (1); Chiis autem decus tribuit inventae artis (2), quae quasi Graecorum propria fuisse videtur, et quae sculpturae incredibilem paene utilitatem attulit.

Nam pellucens ille lapis, et insitivo solis rubore et genuino nitore quasi subauratus, non ad formam modo hominis, sed colorem etiam exprimendum mirabiliter valet et vitae ipsi propius accedit : cujus mica crassior et politurae venustatem patitur et limatioris levigationis taedium recusat ; justa, ut ita dicam, duritia et pertinacis studii disciplinam injungit, sine qua nihil praestantius potest exsistere, et infiniti operis mole artificem liberat, qua manus exerceatur in vanum, ingenium impediatur,

(1) Plin., *N. H.*, xxxvi, 14 (Ed. Detlefsen).
(2) *Ibid.*, 11.

. vel potius obruatur (1). Quas quidem virtutes aut non perspexere (2) Phoenices, aut neglexere, quanquam diu Cycladibus potiti sunt: lucro enim potissimum intenti, non tam absoluta opera condere cogitabant, quam multa et quae facillime aut maximo quaestu venirent; tofacea igitur petra, scabra sed molli, lignove aut argilla, auro argentoque, aere aut ebore utebantur.

Sed longe alius fuit Chiorum animus; qui, generis linguaeque societate cum Paro conjuncti (3), ingenio artificum, fere ab olympiadum initio, florebant. Chii, vicesima circiter olympiade, Glaucus quidam ferruminandi rationem invenit, cum antea clavis retunsis metallum componi solitum esset (4); Chius et ille Melas qui, eodem fere tempore, marmor primus sculpsit. Nec Chii provenit tantum genus illud sculpturae, sed coaluit, per centum circiter annos excultum prudentia manuque ejusdem Melanis filii, nepotis, pronepotumque. Tanta denique fuit Athenidos Bupalique laus, qui ultimi e clarissima gente exstiterunt, ut simulacro subjicere carmen ausi sint « non vitibus tantum censeri Chion, sed et operibus Archermi filiorum. » Quinetiam Augustus imperator, ille antiquitatis non solum diligentissimus amator, sed lepidissimus judex, politissima aetate, Bupali opera miro quodam studio exquisisse fertur (5).

Proximi Chiis Naxii Cretensesque succedunt; quorum hi, rege Minoe, principatum maris obtinuerant et, sapientissimi morum civitatumque regiminis beneficio, otium illecebrasque vitae mature nacti, humanioribus studiis a primo Graecarum rerum

(1) Quantam vim in informanda Aegyptiorum Assyriorumque sculptura habuerit materiae indoles, illic praedurae, hic admodum tractabilis, quaeque utriusque populi arti vel commoda vel incommoda inde redundaverint, cum saepius animadversum est, tum nuperrime praecipua quadam intelligendi prudentia et dicendi copia ostendit Perrot, vir de arte antiqua optime meritus (*Hist. de l'Art dans l'Antiquité*, I, p. 752 sqq., II, p. 523-4).

(2) Perrot, *Hist. de l'Art*, III, p. 183, 192, 404. — Hujus libri caput sextum de materiae generibus et de disciplinis conscriptum est, quae Phoenicibus in sculptura placuerunt.

(3) Ionica in utraque insula dialectus fuit adhibita; idem etiam alphabetum fortasse receptum (*Bull. de Corr hellén.*, VII, p. 254; Cauer, *Delect.*, 495, Ed. altera), quanquam alii docti Pariorum non Chiorum litteraturam in Micciadis Archermique titulo agnoscunt (Kirchhoff apud Brunnium, *Ueber tektonischen Styl.*, p. 523, n. 1).

(4) Herodot., I, 25. Cf. testimonia quae collegit Overbeck in *Schriftq.*, 263-70.

(5) Plin., *N. H.*, XXXVI, 11-13. Cf. Overbeck, *Schriftq.*, 314-19.

exordio se dediderant (1); illi, teste Herodoto, fertilitate soli, civium numero, divitiarum copia, exercitu valebant, cum Darius in Perside rex erat (2). De inventae monetae laude Naxii cum Argiis Aeginetisque contendebant (3). Jam plurima simulacra aut in insula et mediis ipsis lapicidinis jacentia (4), aut in diversis Graeciae regionibus reperta (5), documento sunt non ingenio minus et arte quam opibus viribusque viguisse Naxum. Quae quidem, duriora et perantiquo ritu facta, aut pario constant marmore aut vernaculo, ita ut appareat initium artis hujus vix Chiorum sculptura recentius esse. Jam Pausanias auctor est (6), cum Alyattes Lydis, Astyages vero, Cyaxaris filius, Medis imperitarent, Byzen, Naxium virum, marmoreas tegulas fecisse et ectypis, ut videtur, exornasse : cujus et filius Euergus sculpturam exercebat. Siquidem ionica dialecto utebantur Naxii et alphabeto quod pario chioque proximum est, commercii autem causa utramque insulam frequentabant, facillimum fuit ut ab illa materiam, ab hac artem mutuarentur ; et natura ipsa soli ad istius generis laborem eos hortabatur.

Non Creta marmore ferax, non Paro vicina neque affinis; sed tam artis vinculis tota Graecia cohaerebat, tanta cupiditate discendi et in omnes ingenii vias proficiendi incendebatur, ut quidquid ubique inventum esset, statim in omnes partes pervaderet, in illas praecipue, quae maxime excultae essent. Sic Cretensibus contigit, ineunte sexto ante Chr. saeculo, ut non Naxiis tantum aemularentur, sed Chiis etiam, si creditur Plinio, praestarent. Plinius enim (7) vel Melani posterisque ejus Dipoenum et Scyllidem anteponere videtur; quippe qui hos dicat « primos inclaruisse » ; illorum autem, quasi diligentiae religione, mentionem faciat in transcursu. Cogitanti etiam

(1) Quam multum Cretensibus Milchhoeffer tribuerit notissimum est (*Die Anf. der griech. Kunst*).
(2) Herodot., v, 28, 31. Cf. Diod. Sic. (VII, fragm. 13, Ed. Didot) ap. Euseb., *Chron.*, p. 168-9.
(3) Pollux, *Onom.*, IX, 83.
(4) Ross, *Inselr.*, I, p. 39. Plura vidit amicus J. Martha, cum anno 1878 insulam perlustravit.
(5) Sunt Deli duo, Orchomeni unum (*Annali dell' Inst. di Roma*, 1861, Tav. d'agg. E, 3). Cf. aëneum sigillum Musei Berol., *Arch. Zeit.*, 1879, p. 86 sqq., tab. VII.
(6) Pausan., v, 10, 3.
(7) Plin., *N. H.*, XXXVI, 9.

et memoria repetenti quam multa variaque Cretensium simulacra dinumerentur, quam late per Graeciam diffusa fuisse dicantur, ipsos quoque in diversissimis locis et commoratos et operatos esse, Creta fortasse videatur maxima vi atque auctoritate sculpturae initiis praefuisse; omnis ratio artis ac disciplina quasi ab exemplis Dipoeni Scyllidisque pendere (1).

Ego vero, in marmore saltem sculpendo, Chiis libenter primas concesserim, qui artem ab ipsis inventam tamdiu exercuere, et admiranda opera effinxere. Nam Dipoenus et Scyllis, ut facultate praestiterint, non marmore praecipuam laudem consecuti sunt; sed et ipsi et qui, ab illis edocti, Argis, Sicyone, Spartaeve floruerunt, lignum metallumve maxime tractaverunt, aut chryselephantina, quae dicitur, statuaria nobilitati sunt. Jam, quod apud Plinium Chiorum mentio inepte satis obiterque incidit, valde mihi placet Brunnii sententia (2), non hoc contemptu, sed ignorantia factum: Plinium scilicet, postquam librum jam composuerat, novis admonitum auctoribus, omissa prius nomina, ut potuit, inseruisse. Jam vero, ex ipsis Plinii verbis manifestum est quanti tum facta sint Chiorum opera. Itaque in hac potissimum disciplina ex omni Graecia insulani videntur eminuisse, insulanorum autem Chii excelluerunt, a principiis artis ad sextum usque saeculum.

Tunc Delus inter insulas ac civitates omnes, quae mari Aegaeo alluuntur, sacra quadam hegemonia dominabatur, divina dicta tellus, Apollini ante omnes grata, antiquissima hominum religione culta, commune Graecorum templum et communis mercatus. Itaque illuc convenire canit auctor hymni, qui dicitur, homerici (3) Ionas omnes cum liberis uxoribusque, et deum cantu, choreis, certaminibus, sacris colere; qui et naves mercibus graves praedicat et divitias undique confluentes. Neque vero Iones solum Apollini Delio addicti, sed omnes Graeciae populi. Delum vel barbari reverebantur et Persae, infestissimi illi templorum graecorum eversores, ture donisque Apollini sunt gratificati (4), seu, ut plerique conjecerunt, cognatum

(1) De Dipoeni et Scyllidis operibus discipulisque, v. Overbeck, *Schriftq.*, 321-339.
(2) Brunn, *Geschichte der gr. Künstl.*, I, p. 38.
(3) Hymn. homer. in Apollin. Del., 146 sqq.
(4) Herodot., VI, 96-7; *Bull. de Corr. hellén.*, VI, p. 152.

patrio numini solem agnoscentes, seu conciliandi causa dei, cui uni parere posse Cycladas fama erat. Haud aliter Sami Athenarumque tyranni, Polycrates ac Pisistratus, maris imperium affectantes, Apollinem et sacerdotes populumque ejus, ad partes suas aut pietate ac donis allicere, aut vi trahere conati erant (1).

Quae cum ita sint, Delum tunc Delphis Olympiaeque vix cessisse crediderim. Infinita igitur ibi donariorum copia, quae Graeci dicunt ἀναθήματα. Quae quidem supellectili primum sacra plerumque constabant, aris, thronis, tripodibus, vasis vestibusque, auro et argento facto infectoque; mox, procedente arte, simulacra admista sunt, cum deorum ac dearum, tum hominum feminarumque. Sic priscas illas informesque imagines, quas Graeci ξόανα vocant, in deliacis templis abundavisse compertum est; inter quas innotuerunt:

Apollo, qui ab Erysichthone consecratus est (2);

Venus, hermarum ritu, in quadratam figuram desinens, Daedali opus, Thesei vero anathema (3);

Ilithyia, longa et pedes obtegente tunica induta, quam sculptores attici imitati sunt (4);

Latona illa, quam memorat Athenaeus, turpi aspectu ridicula (5).

Neque adolescentis defuere artis specimina; tum dives insula fuit operibus statuariorum qui primi marmor exsculpserunt. Cretensium opus nullum Deli fuisse fertur; sed inclita quaedam Tectaei et Angelionis, qui Dipoeno et Scyllide magistris usi erant (6), statua memoratur, Apollo scilicet, qui nummis atticis (7) saepius exprimitur, arcum dextra tenens, sinistra vero Charites. Quem tamen e marmore factum fuisse non crediderim, sed potius ex auro lignoque vel ebore conditum suspicatus sum (8). Naxiorum industriam ac pietatem declarat titulus,

(1) Thucyd., I, 13, III, 104; Herodot., I, 64.
(2) Plutarch. (*de Daedal. plataeens.*, fragm. 10, Ed. Didot) apud Euseb., *Praep. Evang.*, III, 8; Pausan., III, 23, 2.
(3) Pausan., IX, 40, 3; Plutarch., *Thes.*, 21; Callim., *in Del.*, 307.
(4) Pausan., I, 18, 5.
(5) Athen., XIV, p. 614.
(6) Pausan., II, 32, 5, IX, 35, 3; Plutarch., *de Mus.*, 14; Athenag., *Leg. pro Christ.*, 14, p. 61 (Overbeck, *Schriftq.*, 334-337).
(7) Beulé, *Monnaies d'Athènes*, p. 364; Furtwaengler, *Arch. Zeit.*, 1882, p. 331-2.
(8) *Bull. de Corr. hellén.*, VI, p. 128-9.

jampridem notus, qui Deli basi inscriptus est (1), et ingentia, humi jacentia, rudera colossi, qui quondam huic basi insidebat. Verum deo colendo et urbi exornandae plurimum contulerunt Chii illi, e Melane oriundi, artifices : nam et Archermi opera Deli fuere, et plura huic insulae signa fecisse Bupalum auctor est Plinius (2).

Idcirco magnus Delo insulae in graecae artis historia tribuendus locus, non ut officinae statuarum, sed ut receptaculo, et, quemadmodum Chius, Naxus Cretaque ἐργαστήρια dici possunt, in quibus eximia quaeque opera fierent, sic Delus quasi μουσεῖον fuisse videtur, in quo collecta oculis proponerentur. Nusquam igitur melius intelligeres quibus ars profecta principiis, quas ingressa vias, paulatim cum ad veritatem, tum ad pulchritudinem pervenisset; nam simulacrorum series numero plurimorum, tempore diversorum, studiorum continuationi respondebat, et quidquid in dies immutatum perfectumque erat ostendebat.

Sed eadem et archaïcae, quae dicitur, arti, et ionicae, quae habetur, disciplinae cognoscendae potissimum profuit, mea quidem sententia ; cum simul, priscis temporibus, Delus religione, insulae Asiaque minor divitiis artibusque viguerint ; simul, exeunte sexto ante Chr. saeculo, deflorescentes consenuerint. Jam vero simulacra e marmore imprimis abundavisse videntur.

II

Ut tali spe ad templum Apollinis investigandum impellebar, ita mentem subibat dubitatio num eversa funditus et saepius direpta insula quidquam adhuc reconderet, tenui praesertim admodum humo. Qua quidem cura feliciter exemptus sum et contigit e ruinarum ruinis sperata simulacra, antiquissimae Graecorum artis testes, excitare. Namque exploranti mihi locum, qui litteris S Q in Blouetii ichnographia (3) designatur, occurrit

(1) *I. G. A.*, n° 407.
(2) Plin., *N. H.*, XXXVI, 12, 13.
(3) *Expéd. scientif. de Morée*, III, tab. II.

congeries marmorum in frustula concisorum, quae viginti circiter quadratorum metrorum superficiem obtegebat. Qua excussa, luculenta in manus praeda venit : nam cum variis inscriptionibus, fictilibus vasis imagunculisque antiquissimis, et sigillis tribus aëneis, simulacra e marmore viginti circiter eruta sunt.

Quae, exceptis corporis virilis trunco, tertii, ut videtur, saeculi opere, et vilioribus quibusdam fragmentis, sinceram antiquitatem redolebant ; et fictilia aëneaque vetustatis eximiam speciem praebebant. Sed inter omnia numero et, vel lepore, vel raritate aspectus praestabant femineae octo effigies, quae, plus minusve fractae, tamen ad cognoscendam cujusque indolem dijudicandamque aetatem satis certa indicia suppeditabant.

Hoc praecipue mentem erigebat, quod statuae, argumento simillimae, artificio diversissimae, uno in loco congestae jacebant : nam, cum omnes mulieris effigiem referrent, aliae imperitae manus tentamenta, aliae eruditae jam egregia opera esse videbantur.

Conjiciebam igitur illas diversis temporibus confectas esse, ad eumdem vero « *typum* » pertinere ; et conjecturae natura ipsa loci favebat, qui saeptus et perpetuo muri praecinctu, tanquam insula, secretus est (1). Etenim peculiare quoddam, ut Graeci dicunt, τέμενος illic erat, quod, orientem septentrionemque versus, porticus ; ab occidente et meridie, aut alia porticus, aut templi parietes concludebant : ideo non aliunde allata, sed inde potissimum oriunda simulacra esse quis dixerit. Nec multo post, Hauvette-Besnault, vir amicissimus, qui, rogante me, porticum occidentalem, et meridionalem templi substructionem indagavit, fragmenta alia duo repperit statuarum ejusdem argumenti ; ita ut genus illud quasi proprium hujus loci esse videretur.

Quod si loci consortium, habitus similitudinem, laboris varietatem animadverteris, simulacra illa putabis quasi typi mutationes enarrare ; immo rem latius multo patere intelliges, et artis ipsius vices manifestius oculis subjici.

Sed cum duplex conclusio succurrat, una quae ad simulacrorum significationem, altera quae ad universam artem pertinet,

(1) Tabulam vide commentationi adjectam de insula Delo in *Bulletin de la Soc. de géogr. de l'Est*, 1881.

illi officit quod consimilia fere fragmenta in alia insulae regione invenimus, et ego, et studiorum collega Paris ; haec vero (et maximi est momenti) immota mansit; immo novis sufficientibus documentis confirmata est. Etenim ut diversitas locorum rationem interpretandi impedit, ita statuarum frequentia cognoscendae historiae materiem feliciter adauget.

Nam haec opera seriem efficiunt, quae ad principia et prima quasi incrementa sculpturae illustranda plurimum valet, vel potius, ut doctus vir Furtwaengler (1) professus est, unica dici potest, praesertim cum alia studiorum adjumenta abundent, et plurima Deli inventa simulacra clariorem etiam lucem afferant.

In hoc quidem investigationum eventus conceptam ex scriptorum testimoniis spem implebat.

Jam vero, si quaesiveris quae de tempore et origine statuarum doceant inscripti tituli, aut peculiaris cujusque ratio, invenias aetati quae octavo saeculo quintoque concluditur, Chio Naxoque potissimum insulis, attribuendas illas esse.

Illud etiam congruit cum iis quae tradita sunt de tempore et locis quibus marmor in sculpturam adhiberi coeptum est.

His igitur fretus, haud frustra me laboraturum esse rebar, si deliacis simulacris studium impenderem.

III

Femineas in primis effigies deligendas esse putavi, quae, numero plures, habitu magis incolumes, praeterea argumento simplices, specie variae, seriem juncturamque artis potissimum exhibent.

Quarum ope inquirendum videbatur :

1° Quomodo informatus esset typus, si quidem omnes ad eumdem typum referri deberent ;

2° Qua ratione marmoris sculpendi disciplina, cum in Asia insulisque, tum praesertim Chii Naxique inventa elaborataque esset ;

(1) *Arch. Zeit.*, 1882, p. 321 : « Da steht denn zunächst eine einzige Serie von archaischen Sculpturen. »

Hoc vero mihi muneris incumbit, ut omnia simulacra quae in hunc commentarium adscita sunt et tabulis et descriptionibus publici juris faciam, deinde interpreter; duplex autem interpretandi ratio, quae tum ad mythologiam, tum ad artem magis spectat.

Tribus igitur partibus constat disputatio :

Primo capite index continetur, in quo simulacra describuntur atque in ordinem rediguntur ;

Secundo inquiritur quae sit vis eorum ac significatio, cui potissimum dearum aut mortalium effingendae sint idonea, quo nomine debeant appellari ;

Tertio denique colligitur quid ad conscribendam sculpturae graecae historiam e simulacris deliacis elici possit.

CAPUT PRIMUM

Quaenam simulacra in disputationem sint adhibenda. — Quae sit cujusque forma. — Qua cognatione sint omnia conjuncta.

Si quis tibi effigies duo proposuerit, pueri unam infantis, provecti viri alteram, etiamsi compertum habueris eamdem utraque personam exprimi, aegre agnoveris similitudinem quantulamcumque. Sin plurimae suppetunt ex ordine imagines, oculi vel raptim circumjecti consentientem omnium cognationem percipient. Sunt enim quasi vincula, quibus inter sese connectuntur vel eae, quae et tempore disjunctissimae et specie sunt diversissimae. Immo vero, qui singulas pedetentim consideraverit, mutandi continuatione delusus, mutationem vix deprehendat; quemadmodum, cum homines duo multos annos perpetuo consortio convixere, ambo in dies alii facti sunt, ambo sese invicem eosdem esse rentur.

Haud aliter artis opera cernentibus accidit; nam artis quoque est pueritia quaedam et juventa et senectus etiam; ita ut, si rudia absolutaque protinus conferantur, abhorrere ea omnino clamemus; fac multa et diversis temporibus confecta colligantur atque in seriem digerantur, tum tenorem certum esse intelligimus, et indiscreta omnia junctura cohaerere. Quae in archaïcis praesertim simulacris conspicua est, in quibus tradita consuetudo magis dominatur, propria artificis facultas, materiae et operae obnoxia, minus potest. Quod si argumenti etiam natura paria sunt simulacra, necesse est similitudo oculos mentemque, velut lux ipsa, praestringat.

Equidem, cum Deli octo feminarum statuas, e terra simul excitatas, intuerer, artis vias indagare, aetates lustrare mihi videbar — quae deinde sunt inventae nihil nisi seriem supplevere atque artius coagmentavere — et jam tum hujus libri rationem excogitavi (1).

Cujus hoc principium et fundamentum esse arbitror, ut aliis ostendam quae vidi ipse : omnia ad unum simulacra colligam, describam, tabularum denique ope ipsis subjiciam oculis,

via qua munita fidei
proxuma fert humanum in pectus templaque mentis.

Nam, si manifesta, ut opinor, cognatio est, necesse est omnibus eluceat; sin alios fugerit, me a vero deerravisse verisimillimum erit.

Cum sint numero sedecim simulacra, in duo potissimum genera distribuuntur : nam alia operum, quae ξόανα vel δαίδαλα dicuntur, rigorem referunt; alia statuis, quae vulgo Veneri vel Spei adjudicantur, aut quae aeginetici templi acroteriis insidebant, habitu sunt proxima.

Illa immobile corpus, demissa et lateribus devincta brachia, juncta et vagina tanquam conclusa crura designant; haec liberior habitus et elegantiores vestimenti deliciae : nam sejuncti paululum pedes; manuum altera protenditur, altera pallium in sinus collectum adducit.

Priori generi septem, alteri novem statuae vindicantur; quas jam recensebo, atque in ordines aetatesque describam.

I

I. Primus sine ulla controversia locus tribuendus est fragmento cuidam, quod, anno 1880, repperi in septentrionali jacens fundamento porticus, quae templa A B complectitur (2).

Lapis — marmor, ut videtur, parium — superne truncatus

(1) Ubi primum de simulacris Deliacis scribendi mihi fuit copia, horum cognationem affirmavi, demonstrare non potui; neque enim omnia colligere ac conferre, neque singula perpendere tum licuit. (*Monum. Grecs*, 1878, p. 61 ; *Bull. de Corr. hellén.*, 1879, p. 107-8.)

(2) Hujus imago non suppetit; nam, tum cum photographicae fiebant

est; quoad exstat, figuram exhibet cylindri compressione deformis, nam plana utraque frons, latera tantum rotunda; verius etiam cum trabe conferatur, cujus anguli in orbem fuerint hebetati. Infra in torum intumescit, deinde in cuspidem desinit; subest enim quasi radix, cujus ope solo vel basi infixus nitebatur; sursum versus paulatim imminuitur. Ne plura, specie admodum congruit cum inferiore parte statuae, quae Deli a Nicandra dedicata erat (n. II), quamque nuper publici juris feci (1). Hoc tantum differt, quod ne extremos quidem pedes exsculpere artifex cogitavit; ita ut nullum humanitatis indicium deprehendatur : et, si comparandi copia defuisset, si columnas antiquissimis temporibus pro simulacris habitas esse (2), pedes in priscis statuis interdum obtectos latuisse (3) non traditum foret, marmor fortasse cum vilioribus fragmentis abjectum esset. Quod tamen, ex ipsis quasi sculpturae incunabulis depromptum, quae tenera admodum aetate ars potuerit ostendit.

II. Quale fuerit simulacrum ex Nicandrae anathemate licet suspicari, quod quidem ad nos fere incolume pervenit. (Vide adjectam tabulam I.)

Altum est, cum inferiore toro ac radice, metra duo : si statuam solam spectes, ad 1 met. 75 cent. recidit. Quanquam in duas partes divisum est, fracto, umbilicum versus, per mediam zonam, corpore, nihil omnino deest, praeter eam brachiorum partem, quae inter cubitum manumque sita est.

Mulier efficta est, adverso ore conspecta : stat recta, immotaque, illo habitu gestuque, qui xoanis convenit ; tunica corpus talari indutum est, vel potius involutum atque obtectum, quae latiore zona cincta adstrictaque est; pedes, quorum extrema tantum pars cernitur, calceati sunt; capiti coma circumfusa, quae in humeros, pectus tergumque demissa exundat; nullum in-

effigies, illa nescio quo modo est omissa; neque petenti mihi ab iis, qui Deli nuperrime constiterunt, mandata est. Fragmenti altitudo sexaginta fere centimetris proxima.

(1) *Bull. de Corr. hellén.*, III, tab. I, p. 1 sqq., 99 sqq. Cf. Collignon, *Mythologie figurée de la Grèce*, p. 15, tab. 3; Roscher, *Ausführliches Lexicon der Myth.*, s. v. Artemis, p. 598.

(2) O. Mueller, *Handbuch* (1878), p. 45; Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik* (1881), p. 26, qui et in *Kunstmythologie* testimonia collegit de hoc idolorum genere.

(3) Pausan., I, 18, 5.

signe adest, sed utraque manus occlusa pertusaque, in qua quid insereretur. Sexum nulla indicia demonstrant, et de eo valde ambigeretur — nam effusa tum coma longiorque tunica a viris etiam usurpabatur, — nisi inscriptum lateri epigramma fidem faceret : quo locutum simulacrum se Dianae, sagittis gaudenti deae, a muliere egregia Nicandra dedicatum esse praedicat (1).

Quod, ubi primum intueris, admodum rude videtur et vix humanae magis quam geometricae figurae accedens : nimirum tribus illud constare dixeris pyramidibus, quae superne sint truncae ; ita vero sint compositae ut, tum fastigii angustiis, tum basis latitudine commissae, inter sese cohaereant ; aut palum esse judicaveris, cujus media fere pars sit attenuata, cui caput super impositum, scapi utrimque, brachiorum loco, sint affixi. Adeo dura rigidaque sunt omnia !

Tunica enim, vel potius vagina, qua corpus includitur, ligni metallive rigorem aemulatur, nec textilis naturae obsequens, quod, praesertim adstrictum, rugis implicatur, nec suppositorum membrorum flexu sinuosa. Latera tantum in orbem circumcisa sunt; frons adversa tergumque ad perpendiculum complanata exaequataque, ut trabes fieri solent; non pectus, non venter, neque clunes, non genua prominent; et, nisi cingulo definitus esset coxarum orbis, ne crura quidem a trunco discernerentur. Idcirco simulacri figura ipsius lapidis descriptione terminata esse videtur : quin os etiam et pedes infra libram reducti !

Quanquam vesti adeo subjectum est corpus, ut sub illa lateat, in veste ipsa peccavit artifex : cujus aspectus vero parum respondet, compositio non liquet. Nam obscurum est ubi desinat, utrum tunica sola constet, an textilis thorax super impositus sit, qui saepissime in statuis aut pictis vasorum imaginibus cernitur.

Jam, quae naturae sequendae causa potissimum effecta sunt, non omnia successere. Brachia enim, utrimque demissa, ut mensura et tereti forma ad veritatem aliquatenus accedunt, ita nimia gracilitate et anatomicae compagis ignorantia laborant ; jam corpori minus apta natura, quam casu applicata esse vi-

(1) *I. G. A.*, n° 407 ; cf. *Bull. de Corr. hellén.*, 1879, p. 4, tab. I, 2.

dentur. Caput vero, ut comae luxuria latius in humeros diffusae gravidum, ita calvariae et oris praesertim parvitate tenuissimum. De lineamentis, trita admodum facie, non licet disserere; sed os aequabili nimium planitie obtusum hebesque; aures minutissimae, altius collocatae atque in anteriorem partem reductae, vix individuae corporis partes, sed adventicia ornamenta videntur esse; coma denique solidam magis massam, vel injectum capiti velum imitatur, quam crispos fluentesque capillos. Haud aliter incisa subter in obliquum vestis ad inserendos pedes puerilem imperitiam arguit.

Attamen aequum est animadvertere in nonnulis partibus naturam quam diligenter inspexerit artifex, quam fideliter imitari sit conatus. Praeterea, cum peccatis offendimur, videndum est ne crimini vertamus quidquid vetustas et intemperies corruperint.

Age, qui maxime officit, tunicae ferreum illum rigorem, non sine causa adhibitum esse invenies. Qui, si laneam esse tunicam conjeceris, angustam, non fluentem, non ineptus prorsus videbitur, sed naturae, quanquam inscite, accommodatus : spissa enim vestis gravisque non sinus innumeros efficit, non suppositae rei conformationem minute reddit. Atqui lanea artaque tunica usos esse diu Graecos utriusque sexus et ex picturis vasorum et ex Homeri versibus colligitur (1).

In minimis eminet diligens industria, quae nihil omittere studet ac meliora videt sequiturque, si non adipiscitur. Sic in manibus, in vultu, in coma praesertim effingenda elaboratum est : inventa enim ratio, qua molles capillorum flexus, et alternae luminis umbraeque vices exprimerentur; quae quidem diu obtinuit, et in Teneatico Apolline conspicua est (2). Nam

(1) Helbig, *Das homerische Epos*, p. 115 sqq., ubi de vestiendi ratione agitur ; tum praecipue, p. 125 : « Der gebrauchlichste Stoff war offenbar die Wolle. » p. 131 : « Sind in Epos selbst mancherlei Angaben enthalten, die entschieden auf eng anliegende Gewänder hinweisen. » p. 146 : « Der Peplos der homerischen Frauen war ein mit Oeffnungen für den Hals und für die Arme versehener Chiton, ähnlich dem, welcher auf den ältesten griechischen Vasen dargestellt ist ; er lag an dem oberen Theile des Körpers bis herab zu dem Gürtel eng und fiel weiter unten faltenlos bis zu den Fussknöcheln herab. » p. 153 : « Indes kommt..... neben dem in freien Falten brechenden Chiton eine andere Gattung vor, bei der die Schwere und Steifheit der Stoffes jeglichen Faltenwurf auschliesst. »

(2) Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik*, I, p. 91. Cf. caput e Delo archaïcum, *Bull. de Corr. hellén.*, 1880, tab. VIII, p. 35, etc.

plurimi orbes, a vertice descripti, comam dividunt; ita ut tum intumescat, tum desidat. Additus etiam marmori color esse videtur : cujus vestigia in inferiore tunica agnovit Furtwaengler (1), quemque in tota veste adhibitum fuisse ex vasorum exemplis crediderim : hoc distinctae amictus diversae partes, et zona, et clavus quo tunica praetexta erat, sejunctus etiam a corpore amictus; hoc, ut opinor, tincti capilli, os et lumina vividiora facta. Cujus nisi ratio haberetur, neque de artificis facultate ac diligentia rectum fieret judicium, neque vera operis indoles intelligeretur.

Nam qui studium adipiscendae veritatis in singulis perspexerit, ille leporem quemdam tam simplici simulacro infusum percipiet, et non sine voluptate praesentiet vivam ingenii vim cum materie contendentem.

Jam vero, si operis summam complexus erit, non inconditum plane corpus et inconcinnum animadvertet, sed justae cuidam partium mensurae ac divisioni ferme vicinum (2).

III. (Tab. II). Huic simulacro finitimum fragmentum, quod proxime, juxta meridionale templi B fundamentum, invenit Hauvette et mecum amice communicavit. Sed quaestio inter eos orta est, quibus illius inspiciendi fuit copia, utri sexui esset adjudicandum. In schedis Hauvettii invenio, quae coram statua conscriptae sunt, pectus feminae plane convenire, et iisdem verbis utitur Furtwaengler (3) : quorum sententiae Cavadias adstipulatur, qui Deli Hauvettii fuit comes. Virilem tamen effigiem esse et Reinach arbitratur, et anonymus Britannus qui Martinellii catalogum digessit (4), et, teste Hauvettio, Purgold.

Mihi vero, cum sit in controversia decernendum, ignota statua, nulla alia praesto sunt adjumenta, nisi imagines duo; quarum unam (tab. II, 3) Reinach adumbravit, alteram Martinelli photographiae ope, ad gypsum, pessime expressit

(1) *Arch. Zeit.*, 1882, p. 322 : « Man erkennt... dass auf dem Gewande unterhalb des Gürtels 7-8 breite horizontale Mäanderstreifen aufgemalt waren. »

(2) Vide quae in libello *Ueber tektonischen Styl* Brunn subtiliter, ut solet, commentatus est. Cum opus ejus in manus pervenit, meum jam conscriptum fuit, sed tamen ex hoc utilitatem licuit percipere.

(3) « Ein Oberkörper, ohne Kopf, deutlich weiblich. » (*Arch. Zeit*, 1882, p. 323.)

(4) *Additional catalogue of casts in gypsum, by Nap. Martinelli*, 356, The upper portion of a statue supposed to represent Apollo.

(tab. II, 1, 2) : sed in hac parum videre me fateor, in illa vereor ne multum Reinach viderit.

Ratio quidem habenda loci ubi marmor est inventum, cum illic statuae potissimum muliebres jacerent; sed et viriles quaedam erant admistae.

De pectoris figura dissentiunt auctores, photographia nihil significat, Reinachii delineatio cum ipsius opinione non congruit admodum.

Quod ad vultum attinet, trita admodum lineamenta; sed productum in longitudinem os, non in orbem mollius circumfusum, virilem potius speciem exhibet : quanquam non certum utriusque figurae in arte antiquissima discrimen fuit.

Nec, si coma elegantius compta crispataque in humeros panditur, inde multum efficitur, cum componendae comae venustate viri vix mulieribus tunc cesserint.

Haec in antiquissima sculptura sexus nota plurimum valet, quod viri plerumque nudi, mulieres vestitae effinguntur. Atqui tunicam in deliaco simulacro videre mihi videor. Nam tori musculique non prominent atque assurgunt; sed, tanquam praetento velamine, aequati, oblitterantur; commissura, qua brachium corpori adhaeret, non natura modo, sed prisca signorum consuetudine multo crassior; quae quidem, addita veste, dilatata esse videtur.

Sub collo, inter capillorum ordines, lineae duo tenuissimae (1) in orbem ductae cernuntur, quae clavo respondent, quo Nicandrae vestis praetexta est.

Itaque Hauvettio, Cavadiae, Furtwaenglero assensus, huic commentario Hauvettianum simulacrum vindicavi : quod quidem studiis non nihil confert, cum ea quam habet cum simulacro II affinitate, tum eo quod interest discrimine.

Nam, descriptione tota, signa ambo consimilia sunt, corporis tenuitate, latis quadratisque humeris, crassiore brachiorum compage, ore longius producto, comendi vestiendique ratione. Sed multum in artificio profectum est.

Non jam quadratam trabis formam, sed structuram corporis et quamdam membrorum harmoniam deprehendas : nam partes et mensura verius congruunt et, quod maximum est, magis apte inter sese cohaerent.

(1) Quae non scalpro insculptae, sed penicillo descriptae fuerunt.

Praeterea figura rotundi aliquid lentique habet; pectus magis dilatatum ac molliter sinuatum; tergum etiam, quanquam negligenter tractatum elisumque, ad naturam propius accedit; vultus plenior et mensura justior : coma minus rigida, capiti magis apta; aures loco, forma, magnitudine magis convenientes; quin et quasi mens quaedam in simulacro insidet; nam diductis, ut fertur (1), paululum labris, mirari ac subridere videtur.

IV. Fragmentum aliud, simile admodum eodemque loco inventum, his fere verbis describit Hauvette.

Truncus est, sine capite, umbilico tenus incolumis; 0,50 cent. altus. Pectus obtusum ac leve; cui quattuor utrimque cincinni desuper appendent; tergum, tum laterum rotunditate assurgit, tum spinam juxta depressum est, quod extrema coma in octo ordines distributa attingit.

Sed, cum nihil ad rem conferat, satis sit hujus mentionem fecisse.

Furtwaengler (2) etiam attulit colossei capitis fragmentum; quod statuae cuidam simili attribuit; ego, re minime certa, praetermisi.

V (Tab. III). Jam vero luculentum mutatae in melius et naturam imitando provectae artis monumentum suppeditat simulacrum eodem loco eademque die ac n. I inventum : in quo paululum decet immorari, cum diversam sculpendi rationem exhibeat.

Cui desunt brachia ambo (ablatum unum est, sinistrum terendo paene deletum), pes uterque et ima crura. Corporis etiam quod superest in duas partes fractum est; quae, quanquam inter se conveniunt, non apte coagmentantur. Lapis undique, tum maxime qua pectus erat, et saxorum attritu elisus, et pluviae stillicidio erosus est.

Signum argumento cum prioribus convenit; sed et sinistri gestu brachii, et specie ac figura ipsa corporis diversum est.

Nam, cum in illis brachia ambo pariter demissa lateribusque tafixa sint, in hoc ultimo pendet etiam unum, sed alterum pecfori transversum insidet, manu erecta atque inter mammas posita. Hujus quidem obsoleta paene vestigia Furtwaenglerum fefellere, qui porrectam] manum fuisse scripsit; mihi vero hae

(1) Opinionem aliorum refero, non meum de inani imagine judicium.
(2) *Arch. Zeit.*, 1882, p. 323.

affirmandi certissimae causae suppetunt. Nam superna pars trunci inferiore multo latior, quod nequaquam Furtwaengleri (1) opinioni concinit : res enim postulat, si manus porrecta protentaque fuit, ut brachium recta linea, cubito tenus, pendeat, laterique sit continens, fere ut dextro lateri dextrum brachium ; id est, justa responsione quadra fiat trunci figura. Jam vero, obliquus sinistrae partis tractus et prominens in adverso signo cubiti acumen brachium adductum esse demonstrant et pectori haesisse. Operae etiam pretium est addere marmoris nihil omnino ea parte fractum esse atque avulsum.

Cum hic, sine dubio, sit gestus, fortasse aliquis dicat parum hoc in arte immutatum profectumque esse ; aeque in inveniendo efficiendoque infelicem esse artificem ; aeque constrictum impeditumque simulacrum, iisdem, ut ita dicam, vinculis alligatum. Equidem multum imperitiae tribuo, et cum corpore brachium conglutinari fateor ; sed ut vincula solvere et manum in vacuum aërem, nullo fultam columine, proferre neque ausus est artifex, neque fortasse potuit, ita quamdam gestus varietatem industrie sectatur, et motum exprimere non sine cauta audacia nititur ; quare maximam artis vim, si non consecutus est, at certe intellexisse mihi videtur.

Verum etiam in alia disciplinae parte novam aut muniit viam, aut secutus est saltem. Scilicet aspice quae sit inferioris simulacri figura : senties hoc non trabi quadratae, velut cetera, sed vel arbori vel columnae rotundae assimilatum esse, id est ex aliis principiis originem ducere, atque alia formam excogitandi ratione inventum esse.

Quam ad veritatem et naturalem corporis descriptionem rectius tendere satis manifestum est. Riget quidem tunica, et crura quasi opaco inflexoque obtegit involucro ; non singulos artus torosque reddit, textili subtilitate ; sed in summa tamen totum refert circuitum, orbe superne ad coxarum latitudinem dilatato, deorsum versus, pedes usque, paulatim deminuto : vaginam esse dicas, sed eam quae inclusi corporis formae se docilem aliquatenus praestet (2).

(1) Furtwaengler, l. c., p. 323 : « Der linke (Arm) war vorgestreckt. »
(2) Equidem conjicio aliam in hoc simulacro vestis compositionem fuisse atque in n. II. Inferiorem enim tunicam collectam esse, atque in anteriorem corporis partem adductam zonaque succinctam, fere

Itaque nihil mirum est, si in ceteris quoque artificii melioris indicia deprehenduntur, mollior scilicet humerorum ambitus, tergi pectorisque sinuosa iniquitas, tenuior brachii commissura, vestis etiam tractabilis quaedam subtilitas. Cujus experimentum, quanquam parce atque, ut ita dicam, verecunde fit, notatione est dignum; non enim cum consueto tantum more, sed cum reliquo etiam signi hujus rigore repugnat. Atqui in tunica, vel eo qui super impositus est thorace, juxta dextrum brachium, sinus consulto expressos esse, non casu aliquo sulcatum marmor existimo.

De iis quae huic simulacro aliisque sunt communia piget disserere, nisi quod ad colorem attinet: cujus vestigia evanuere; sed pigmento distinctam esse vestem vel maeandri delineatio sola demonstrat, quae, medio fere corpore, tunicae insculpta est (1).

Ni fallor, etiam aliunde petita simulacro accedebant ornamenta, zonaque e metallo constabat.

VI. Fragmentum, quod in tabula IV, 1, 2 effingendum curavi, undique mutilum est: nam corporis illa pars exstat sola, quae collo sternoque concluditur; et ne ea quidem integra, sed dimidia fere, dextro brachio dextraque mamma ablatis: laeva mamma abrasa est et, cum sinistra manu, carpus, qui pectori transversus incubuit, amputatus. Sed tamen, in tanta ruina, dignum est hoc signum quod nos detineat, et ea quam habet cum novissimo gestus similitudine, et illo quod proprium est artificii discrimine.

De gestu antea dictum est; satis sit observare non leve inde opinioni meae subsidium adjici.

Si laboris rationem spectes, in duritie offendas: nam in simulacro recta, ut ita dicam, linea dominatur, et est ambitu rigidum siccumque. Quam speciem proferunt alti quadratique humeri, tergi aequata planities, vestis etiam natura, quae, vel ubi corpori tam apte sese accommodat, ut quasi nudum esse

ut Dresdensis Minervae tunica composita est. Ot. Jahn, *De antiq. Minerv. simul. att.*, tab. II, 2.

(1) De istiusmodi « ῥάβδοις » vel « παρυφαῖς » disseruit Helbig (*Das homer. Ep.*, p. 139 sqq.). Quae in vasis pictis saepissime occurrunt: tum idola maxime vestes iis ornamentis insignes gerere solent (p. 140, n. 3). Haud aliter Dresdensis Minerva, ad antiquitatis speciem conficta, intexta mediae tunicae gigantum certamina exhibet.

videatur, bracteae magis tundendo applicatae, quam ductili texturae similis est.

Idcirco praecedenti etiam effigie rudiorem hanc et fortasse vetustiorem judicaveris; sed pectoris, humeri, brachii delineatio justa flexusque et apta commissura, gestus ante omnia libertas admonet ne in hac nimium sententia consistas.

In utroque enim simulacro satis inepta fit repugnantium inter sese rationum admistio et contraria plane coeunt; quae vices solent esse operum iis temporibus conditorum, quibus disciplinae immutantur; novitates jam gliscunt, vetus adhuc obtinet consuetudo. Sic illa mollem trunci circuitum, inferioris tunicae ferreum rigorem nescio quo pacto componit; in hac, tergum alia manu, alia pectus confectum esse videatur. Hoc etiam in sculptura tunc commentum fuit ut nullis vestis rugis implicaretur, nullos efficeret sinus (1).

Itaque artificio fere aequiparantur signa ambo : illum mollior ac rotundior ambitus commendat; in hoc jejunitas ac durities reprehenditur; sed gestu prius constrictum coactumque, alterum magis expeditum atque solutum.

Cujus habitum consideranti mihi sponte venit in mentem jam sejunctos fuisse pedes vaginaeque angustiis emissos. Neque conjiciendo nimium audeo, cum alia, fere labore suppar, aetate aequalis, statua non timidum motus experimentum, sed immodicam brachiorum crurumque jactationem exhibeat, ea scilicet quae summo impetu immissa, vel potius volans, dea effingitur, quaeque Deli etiam est inventa (2).

VII. (Vide *Bull. de Corr. hellén.*, VIII, p. 168 anticam posticamque sigilli delineationem.) Si Reinachio crediderim, huc inserendum fuerit sigillum, quod eodem ac cetera loco inventum, ejusdem est descriptionis. Ego vero neque ex commentariis ejus, neque ex imagunculis, quas raptim sane delineavit, certi quidquam colligo. Namque non constant inter se effigies; quarum in una dextrum brachium integrum, in altera amputatum esse videtur; tunica etiam hic in sinus collecta adductaque manu est, illic libera defluit. De labore judicium ex hac tabella

(1) Cujus consuetudinis praecipuum indicium fuerit, si, ut opinor, tunica in IV simulacro collecta adductaque fuit.

(2) *Bull. de Corr. hellén.*, III, p. 393 sqq., tabb. VI-VII.

ferre dubitaverim, praesertim cum parum concinant et corporis constrictior habitus et artificii expeditior libertas : nam immobilis stat mulier, compressis manibus, pedibusque junctis; sed vestis eleganter, multiplici sinuum flexu, defluit; brachium etiam non sine causa vacuum, sed colligendae tunicae deditum pendet.

Ego vero, hac discrepantia admonitus, non sinceram sed fictam antiquitatem subodorari me fateor; simulacrum tamen illuc proferre constitui, tanquam exemplar eorum, quae medium inter utramque operum seriem locum obtinebant, quaeque ad unum perierunt.

Illis quidem septem, quae hactenus descripta sunt, prior concluditur series; itaque, priusquam ad alteram transeamus, opportunum fuerit studiorum quasi summam formulis aliquot breviter complecti.

1° Septem illa simulacra congruunt :

a. Materie, marmore scilicet, quod parium est;

b. Argumento : nam mulier adest, adversa fronte conspecta, utrique pedi insistens, immobilis, adstricto membrorum habitu, vestis rigore insignis;

c. Labore, qui inexpertae manus periculum arguit, studium imitandi naturam non admodum infelix ostendit;

d. Aetate, quae ad prisca graecae artis tempora et sculpendi disciplinae initia referenda est.

2° Sunt tamen et peculiares cujusque operis notae et certa discrimina :

a. Sunt antiquitatis varia tempora, nec cum aequalia dico simulacra, uni decennio adjudico;

b. Sunt artificii variae rationes, est certus processus, cum, et in marmore tractando, et in forma invenienda exprimendaque, non nihil artifices immutaverint atque perfecerint.

α. Namque totius signi descriptio lapidis primum figura terminata fuit, e qua sculptum foret; deinde hoc servitio sese paulatim exemit. Quae aut quadrata, aut teres fuit. Haud aliter et in singulis, aut molles rotundique ambitus, aut rectae lineae angulique placuerunt.

β. Quod ad vestimentum attinet, hujus circuitus modo ac figura, non varii ductus flexusque exprimebantur; vix in ultimis simulacris tentatum est textilis indolem atque hanc intricationem imitari, quae vestis est quasi motus ac vita.

γ. In exprimenda etiam corporis forma pedetentim profectum est. Nam sub veste primum latet, brachia tantum caputque humanitatem declarant; sexus indicia desunt; membra nec magnitudine, nec apta coagmentatione secum conveniunt; paulatim manifesta, concinens fit partium structura, et vera cujusque descriptio.

δ. Tentatum etiam est hoc corpus ad mobilis animantisque speciem effingere; quod non plane successit; tamen in difficillima via aliquantulum progressi sunt artifices. Tria vero sunt momenta: nam primum juncti pedes, brachia lateribus affixa, rigens corpus a vita plane abhorrent; dein brachiorum alterum pectori impositum, corpus moveri posse demonstrat; manus denique pallio adducendo occupata consulto etiam illud moveri ostendit.

Itaque unum ex omnibus simulacris conflatur genus, quod temporis atque ingenii vi regitur, mutationi obnoxium est; sed ex una atque eadem stirpe oritur, velut in planta gemmae, folia, flores, velut, in humano genere, progenies liberorum posterorumque.

II

Haud manifesta minus, immo certior artiorque necessitudo colligat omnia posterioris seriei inter sese simulacra, quae habitu vestituque nihil, arte vix differunt.

Sed quae cognatio sit inter utramque seriem minus liquet: hic enim incidit lacuna quaedam et, deficientibus aliquot simulacris, non jam per singulas varietatum vices transitur; sed magna fit repente mutatio, qua mens distrahitur. Idcirco idem accidit ac si, in componendo familiae stemmate, aetas defuerit una vel altera; utrimque necessitudinis indicia occurrunt, sed vinculum ipsum quo nectitur non apparet.

Itaque jam reliqua simulacra describam, quid inter illa prioraque aut discriminis aut similitudinis sit inquiram; hanc vero conclusionem fore arbitror, genera ambo specie diversa, re esse conjunctissima, et lacunam ipsam facile aliunde suppleri posse.

Cum typus sit omnium simulacrorum unus, totius generis quasi speciem informabo; singulorum singulares notas brevissime recolam.

Omnia verae amplitudini fere aequiparantur; quippe quae, capitis, crurumque, a genu, expertia, 0 m. 95 cent. sint alta; integra autem ad 1 m. 60 cent. debuerint accedere. Omnia quoque cladem eamdem perpessa sunt : nam desunt, cum capite et pedibus, utraque sura, brachia ambo (sinistro fere sub axilla, dextro infra cubitum amputato), pallii extremi cornua, vestis in manus collectae contortus fascis pendentesque sinus; ceterum plus minusve attrita erosaque sunt.

Descriptio haec est. Mulier aspectus dignitate honestior, corporis proceritate ac robore insignis, stat recta, immobilis; utrique soleae firmiter innixa, cruribus pariter insistit, quanquam laevum pedem promovet, dextrum paululum retrahit, incessurae potius quam incedenti similis. Brachiis amissis, humeri tamen ductu et ea quae superest parte gestus utriusque demonstratur. Scilicet dextrum, cubito tenus, pendet, deinde inflexum protenditur; manus semiaperta est, ita ut pollex indicem fere contingat, et insigni gerendo habilis; sed minus liquet utrum erecta fuerit, ut in multis statuis conspicitur, quae florem ostentant; an supina, tanquam in illis quae pateram proferunt. Sinistrum vero brachium demissum fuit suaviterque in orbem actum; manus pallium eleganter adductum sustinebat.

Caput (Tab. v, 1), quoad ex uno quod servatum est (1) judico, ut corpus ipsum, adversum plane se offert. Cui coma summa arte atque elegantia compta, diligentissime ab artifice est expressa : nam, pone effusa, largo flexuosoque flumine exundat et infra scapulas descendit; alia parte, quattuor plus minus capillorum ordines vel quasi amniculi, ab aure summa derivati, per humeros pectusque serpunt. Frontem cincinni elaborate calamistrati et in duplicem gradum compositi coronant; quos dextra laevaque duo — gallice liceat dicere — « *bandeaux* » intercipiunt, iis fere similia quae in eleusinio capite et attico altero occurrunt (2). Diademate caput est redimitum; in quo nullum applicatae bracteae vel affixi metalli vestigium apparet, anthemia aut alia hujusmodi ornamenta depicta fuisse

(1) Caput, quod eadem tabula 2 est expressum, femineum esse Furtwaengler opinatur et simili cuidam statuae attribuit, ego pro virili interpretatus sum et etiamnunc interpretor. *Arch. Zeit.*, 1882, p. 326, n. 6. — *Bull. de Corr. hellén.*, 1879, tab. VIII; 1880, p. 35 sqq.

(2) Ἐφημ. Ἀρχ., 1883, tabb. v, vi. — Alia mitto satis multa.

videntur. Mundus etiam ex metallo formam honestabat: inaures, quibus patent foramina, spirae extremis capillis implicitae et capillorum etiam cincinnis assimilatae, quibus inserendis caesum marmor esse existimo (1), ubicumque coma desinit. Namque vel in marmoreis simulacris, et quibus e marmore cetera coma est, aëneos etiam cincinnos infixos fuisse aegineticorum simulacrorum, Minervae praesertim, exempla demonstrant (2). Tales etiam spirae saepius fodiendo inventae sunt (3), quas Helbig verbo κάλυκι apud Homerum significari conjicit, vel cum celebratis etiam τέττιξιν confert (4).

Si vultum adspexeris, animadvertes quam vera sit aptaque structura; et fortasse duritiem reprehendas, nam sub carne ossea compages eminet, et pellis adstricta macilentam praebet speciem; sed tamen mollitie quadam et lepore blanditur, et est, non sine venustate, jejunum; quanquam facies riget, oculi defixi torpent, mens animusque vultu quodam modo expressus est; nam severae aliquid habet suavitatis et majestatem risu mitigat; oculi autem, quanquam vacui, mansuetudine oblectant. Quid, si et inflictarum marmori injuriarum rationem habueris, et adjecti colorum varietate decoris?

Amictus tunica vel subucula constat et amplissimo, quod super injectum est, pallio. Tam religiosus fuit artifex in natura textilis utriusque exprimenda, tam diligenter vestes componendi varietatem imitatus est, ut de his rebus minime dubitetur.

Namque tunicae subtilis trama crispaque, et fere capillorum ritu sinuosa, tremere, ut ita dicam, videtur. Quae tenues pellucidasque vestes imitatur, quibus Aegyptus, Cos, Thera, Amor-

(1) Res in tabb. VI, VII a. est manifesta.

(2) O. Mueller, *Handbuch*, p. 69 n. 90, 3; Brunn, *Descript. de la glyptothèque de Munich*, p. 71. « D'autres trous étaient destinés à fixer les cheveux figurés en partie par des appliques en métal » (nn. 59, 63, 65, 66, 68, 70 a et b, 72 d).

(3) In Italia, Caere; in Graecia, apud Boeotos, Olympiae, Mycenis; in Asia Minore, ad Ilium. Quae circum caput plerumque jacebant. Helbig, *Das homer. Epos*, p. 166 sqq., tabb. 40-47.

(4) Helbig, *o. c.*, p. 166, n. 5, citat Sch. ad *Il.*, XVIII, 402 κάλυκας... οἱ δὲ χρυσᾶς σύριγγας, αἳ τοὺς πλοκάμους περιέχουσιν, Eustath. ad *Il.*, XVIII, 400, p. 1204, 22, Suidam et Photium κάλυκας, σύριγγας; p. 170: « Diese (τέττιγες)... können keine andere Gegenstände gewesen sein als metallene Spiralen. » Idem auctor spiras ad medium usque quintum saeculum in usu fuisse constituit.

gus imprimis dicuntur inclaruisse, quibusque molles Ioniae civitates et ipsae Athenae diutissime sunt usae (1). Hujusmodi tunicas, quae corporis ambitum magis indicant, quam dissimulant, pictoribus etiam placuisse permulta vasa demonstrant, quae rubris imaginibus sunt insignia. Illas vero praelongas fuisse et inditum Ionibus nomen, quos ἑλκεχίτωνας (2) dicit Homerus, et plurima signa nostris simillima, aut picturae vasis adjectae, tum in primis anaglypta monumento Xanthico, quod dicitur, exsculpta ostendunt (3) : nam sedentium illic in thronis dearum tam laxa fuit vestis ut, quanquam alto subsellio subnixi sunt pedes, late in solo sit effusa. Tunica manicis instructa est amplissimis, ut mos tunc erat; superne, inserendi capitis causa, ab humero sinistro ad dextram usque manum aperta est : qua patet, praetextus est utrique margini clavus, qui etiam in altera manica conspicitur; ita ut hic oras fuisse textilis crediderim, et vestem primum toto tractu divisam esse, deinde alia parte insutam coaluisse, alia patuisse. Quae fibulis conserta erat; et harum etiam in simulacris deliacis vestigia supersunt : nam, juxta commissuram, sex plus minus foramina deprehendi aëneis ornamentis idonea.

Venia sit mihi nimium in minimis consistenti, quod diligentiam artificis ipsius sum imitatus : ego vero sincerum hoc studium observandi exprimendique naturam graecae artis characterem esse arbitror, et praecipuam incrementorum ejus causam fuisse.

In pallii etiam compositione describenda paululum immorabor, quia multi eam non consuetudini ac veritati, sed commentis artificum potissimum respondere existimant; ego in contrariam opinionem adductus sum, et cognita artificum erga naturam reverentia, et iis quae feci ipse componendi amictus periculis.

(1) Strab., x, p. 466; Thucyd., I, 6, 2, qui consuetudinem ad medium usque v saeculum obtinuisse scribit. Et Dores hanc vestem saepius induisse demonstrat Helbig, *Das homer. Epos*, p. 118 sqq.

(2) *Il.*, XIII, 685 ; cf. *Hymn. homer. in Apoll. Del.*, 147. In *Odys.*, XIX, 242 χιτών quidam τερμιόεις descriptus est. Mulieres autem ἑλκεσίπεπλοι a simili veste nomen accipiunt, *Il.*, VI, 442; VII, 297; XXII, 105 (de Troadibus). Cf. πέπλον quem Ceres gerere dicitur (*Hymn. homer. in Cer.*, 182).

(3) Cujus optimam effigiem in eximio opere *Monuments de l'Art antique* dedit amicus vir O. Rayet (fasc. v, tabb. III-VI).

Pallium, quod involvendo protegendoque corpori inventum est, e densiore quam tunica materia fieri debuit; lanificii igitur spissam gravemque indolem rugae altius impressae et ordine ad perpendiculum directae indicant.

Descriptio vero haec est: pallium sinistrae mammae axillaeque suppositum, in dextro humero desuper alligatum est, ita ut transversum per pectus tergumque agatur, in baltei fere modum; extrema pars, quae longissima est, ultra citraque dextrum brachium dependet et suram attingit. Pallium omne, et qua corpori adhaeret, et qua defluit, rugis striatum est parallelis et gradatim compositis.

Cujus speciem verissime imitari potui, panno usus amplissimo quadratoque, sed qui in longitudinem magis quam in latitudinem patebat.

Hoc corpus bis involutum esse dicas, nam duplicatus est, et in ordines duo compositus, unum qui pectori praetenditur, alterum qui pedes attingit; ita vero apte circumductus est, ut, quanquam manu collectus trahitur, nusquam hiet commissura.

Alia plane ratione superior pallii pars, alia inferior composita est; namque haec laxa et levis, nisi quod manu collecta adductaque corrugatur; illa summa industria in tenues innumerosque sinus implicata est, qui vel ad lineam directi sunt, fere ut striae fiunt in columnis, vel in orbem corpori sunt circumducti (1).

Pedes nudos fuisse fragmenta plura ostenderunt (2).

Nullum in novem simulacris indicium deprehendi, quo intelligerem additum fuisse insigne aliquod; nec, cum inventae sunt manus plures, in illis quidquam inerat. Inde tamen nihil certi oritur; nam res extremis digitis potuit detineri, qui amputati sunt.

Haec ad genus universum spectant; sed typus tam firmiter mansit, ut singulis simulacris fere conveniant. Quae quidem sunt descriptione simillima: in minimis et minime variatum est, velut capillorum comptu, textilis natura, pallii compositione, mundi etiam elegantiis; de quibus piget scribere, praesertim cum tabulae sint in promptu. Neque laboris manifesti processus, neque temporum certa discrimina dignoscuntur;

(1) Tabb. IX b, VII b.
(2) Tab. IV, 4, 4. Qui et mutati artificii indicio sunt.

sed in omnibus fit optimi pravique admistio, ut solet in operibus, quae ante perfectionem artis condita sunt; disciplinae ratione artificumque facultate fortasse magis differunt, quam annorum intervallo distant.

Namque alia severiorem sculpendi ritum sectantur et rigoris quiddam retinent; alia ad uberiores plenioresque formae circuitus et liberiorem rationem magis vergunt; sed interea illa lepore et felici industria oblectant, haec crassitudine et quadam inconcinnitate offendunt. De omnium vitiis ac virtutibus disserui in *Bulletin de Correspondance hellénique*, a. 1879, p. 108 sqq.; a. 1880, p. 29 sqq.

Utriusque generis exemplaria duo sunt inventa; ad severum quidem pertinent et simulacrum illud quod in *Bull. de Corr. hellén.*, a. 1879, tabb. II-III publici juris factum est, et aliud quod adhuc est ineditum. Sunt ambo tabulis huic commentationi adjectis expressa n. n. VI, VII a, b. Ex iis quae et in *Bulletin*, a. 1879 tabb. XVII, XIV-XV, et hic tabb. VIII, IX a, b, effinxi, alterum genus constat.

Ceterorum ratio non habita est, quia aut pessime habita sunt, aut mihi parum cognita. Attamen ex iis quae aut observando discernere potui, aut Parisii verbis comperi, cognata esse et illa intelligo.

De aetate cujusque fuit dissensio; nam Furtwaengler antiquissimum esse judicat simulacrum, quod, mea quidem sententia, omnium est venustissimum (vide tabb. VII a, b). Cum habitus rigorem, laboris jejunitatem reprehendit, fortasse assentior; sed intuenti mihi corporis graciliorem suavitatem, pallii componendi exprimendique elegantiam, aequam vestimenti corporisque societatem, mihi paene perfectum videtur opus et longe omnium praestantissimum.

Libentius primum locum concesserim illi quod, Furtwaenglero judice, secundum obtinet (Tab. VIII): nam monile, quod in marmore ipso insculptum est, vetustiorem speciem praefert (1), et crassius collum, effusa etiam utrimque coma dilatatum, pallii parum sibi constans labor, — ut plura non dicam — imperitam produnt manum, in singulis diligentem, toto opere non felicem admodum.

(1) Quod conferas cum simili virginis alatae monili (*Bull. de Corr. hellén.*, 1880, tab. VI).

Atqui, cum in duo genera statuae dividantur, satius erit non genus generi comparare, sed intra utriusque generis fines singulas statuas conferre; tum fiet facillima dijudicatio ac certissima.

Nam est in utroque una sine dubio antiquior, altera profecto recentior ; scilicet hic ordo fuerit :

Genus I	A	Tab. VI. Num. VIII.
	B	Tab. VII, a, b. Num. IX.
Genus II	A	Tab. VIII. Num. X.
	B	Tab. IX, a, b. Num. XI.

Quod quidem signum novissimum omnium esse convenit, non optimum dico.

Restat ut indicem brevissime digeram, et dicam quo quodque loco, quo tempore sit inventum, quali ad nos statu pervenerit.

VIII-XI. Tabb. VI-IX. Anno 1879, omnia simul reperta sunt, in artissimo spatio, quod templi A fundamentum orientale, porticus A facies occidentalis, templi B angulus circumscribunt : ima fovea atque in ipso saxo jacebant.

XII. Eodem loco eodemque tempore inventum ; hujus effigiem edere vix conducit, cum aliis descriptione respondeat, aspectu sit admodum deforme. — Marmoris natura, simulacri altitudo eadem est.

XIII. Extra recinctum, sed in proximo vicinio mihi occurrit ; nam ipsas ad radices muri jacebat, quo porticus A clausa fuit. Mutila est undique petra et vix statuae similis ; sed ad hanc seriem profecto attinebat. — Altitudo cum vera congruit. — Annus inventionis 1880.

XIV. Deformius etiam et mensura minus fragmentum, ejusdem videtur esse argumenti ; sed in tam turpi statu vix affirmaverim. Quod inveni media area, quae ante Apollinis templum patet, non longe a meridionali recinctus latere. Hic nulla alia de causa allatum est, nisi ne quid desit, et ne de origine reticeam.

XV-XVI. Alia plane regione et ultra Apollinis etiam sanctuarii peribolum, ad meridionalem angulum aedificii, cui nomen ἀγορά inditum est, simulacra duo effossa esse scripsit Paris, meis consimilia. Eximia dixit arte confecta et, exceptis capite, brachiis cruribusque, incolumia ; sed neque minutam descriptionem, neque delineationem misit. Ex litteris ejus comperio cum ceteris ea admodum convenire ; neque quidquam nota-

tione dignum est, nisi quod unum ex iis dextrum pedem, non sinistrum promovet, ita ut gestus inversa sit ratio.

XVII. (Tab. IV, 3). Quam diu Deli viguerit ille typus ex sigillo quodam recentiore colligitur, quod prisci exemplaris speciem fideliter imitatur, docta inepte imperitia affectatae antiquitatis studium prodit : quod idcirco subjeci. Inventum autem est in aula, quae templo Apollinis meridiem versus continens est.

Non censa sunt simulacra aliquot, quae non jure gentilia sunt, in gentem fraude irrepserant (1) ; aetate et artificio cognata, sed habitu gestuque et, ut videtur, argumento aliena sunt.

III

Postquam subjecta sunt oculis simulacra omnia, quae speciem exhibent mulieris incedenti similis et pallium manu adducentis, tempus est ea cum antiquissimis et rigentibus conferre, quae priori seriei sunt adjudicata. Quid discriminis intersit, re satis manifesta, supervacaneum est proferre ; sed operae pretium est illustrare subobscuram illam cognationem qua sunt conjuncta.

Ut ab rebus exordiar, quae exteriores sunt, verum ob eam ipsam causam maxime in mutando aspectu possunt, amictu cultuque differunt.

Cui ne nimium tribuas cave : nam veste non constat homo, neque mutata vertitur ; multum in hac re consuetudo potest, multum etiam unius cujusque mobilis libido. Quare ne simulacrorum quidem genera istiusmodi varietatibus segregantur ac dirimuntur.

Age vero, quid tandem immutatum est ? Eadem in omnibus simulacris tunica occurrit, quae a cervicibus ad imos pedes descendit, χιτὼν scilicet ποδήρης : quae vestimenti pars est quasi

(1) Nam Furtwaengler adnumeravit falso fragmentum trunci subtili tunica induti (p. 326). Effigies viri, ut opinor, fuit, non mulieris ; praeterea gestus admodum differt, nam dextra citharam ferebat. — Aliud quoque, ut novennam seriem conficeret, debuit adjicere simulacrum, quod a nostris vultus indole et gestu amictuque differt, cum Dresdensi Minerva magis cognatum est.

necessaria; pallium vero, adventicia. Quin idem fere figurae ambitus; nam constricta pallio crura et paulatim attenuatum deorsum versus simulacrum in eamdem fere formam ac signum V (Tab. III) desinunt; pendentia vero utrimque pallii cornua quadratam et dilatatam infra figuram efficiunt, a signo II non alienam.

Jam alia textilis indoles esse videtur, illic spissa duraque, hic subtilis ac tractabilis; alia tunicae descriptio, quae tum corpori adhaeret, tum laxa defluit; pallium denique aut deest, aut adjectum est.

Atqui pallium ea est vestis, quae ad tempus et sumatur et relinquatur; itaque, si, cum amplissimum esset, rugis intricatum, illud minus facile artifices exprimebant, potuerunt, illo omisso, imperitiae indulgere. Hoc tamen non congruit cum veritatis studio quo praestabant; neque pallii labor operosior fuit quam tunicae, cum utrumque pariter in simulacris rigeat: quod quidem Samia Juno demonstrat (1), et aliquot anaglypta; ex vasis etiam depictis plurima exempla depromas. Verum etiam si priscis temporibus lanea potissimum densaque tunica adhibebatur, minus tum pallio opus fuit, ideoque a simulacris aberat, quae naturam verissime imitabantur: quid quod in vasis, quae dicuntur, corinthiacis, sola tunica saepissime conspicua est?

Si concesseris laneas primum vestes, linteas deinde placuisse, intelliges in his illisque exprimendis artifices consuetudini pariter obtemperavisse; eadem autem lege tum angustam, tum fluentem tunicam effecerunt.

Sed aspectus diversitas ab artificum prudentia ac facultate potissimum pendet, quae, in dies magis exercitata ac melius instructa, sculpendi rationem emendabat. Nam consuetudo frustra ad luxuriem conversa esset, frustra elaboratum componendi amictus studium, et pellucidae vestis, fluentis tunicae delicias intulisset, nisi eodem tempore sculpendi ratio perfecta esset. Primum igitur, commento quodam usi, artifices vestimenti circuitum modo, non flexus imitabantur; deinde naturalem etiam subtilitatem exprimere sunt conati, tum merae delineationis tractu, tum marmoris etiam sinuato ambitu.

(1) Ab amico P. Girardo est inventa, deinde in *Bull. de Corr. hellén.*, 1880, tabb. XIII-XIV, p. 483 sqq., publici juris facta, tandem in Museum Parisiense allata.

Itaque liquet spatium temporis satis longum inter utriusque generis simulacra intercessisse, quo consuetudo vestiendi sit immutata, ars sculpendi multum promota ; aspectum tamen mutatum esse, non naturam simulacrorum ; seriem igitur ac juncturam nihil interceptam.

Si habitum deinde corporis et gestum spectes, sentias in hoc quoque nihil novi omnino inesse, et quod ab antiquis principiis abhorreat ; sed potius ex iis quasi conclusionem esse ductam.

In signis enim vetustioribus brachia sunt corpori agglutinata, crura juncta torpent, vestes rigent ; sed tamen inter primum hujus seriei simulacrum ultimumque sculpendi disciplina haud parum profecit. Eo enim ars audaciae ac facultatis pervenerat, ut varietatem sectaretur, motus quasi periculum faceret, animantis naturam, textilis indolem imitari conaretur.

Jam in recentiore serie viva corpora, viva, ut ita dicam, vestis, et non ad naturam modo, sed ad pulchritudinis etiam speciem quamdam effigies expressae esse videntur.

Attamen si, citra artificium, solum ob gestum, collata erunt utriusque generis simulacra, proxima esse invenientur.

Nam in his pariter illisque brachiorum unum pendet et femur attingit ; alterum cubito tenus demissum, deinde inflexum est, sed tum transversum pectori insidet, tum protenditur. Hoc unum discrimen est ; nam, quod liberius elegantiusque brachiorum ductus in orbem inflectitur, gestus non immutatus est, sed majore industria expressus ; quod sinistra manus pendentis pallii sinus colligit, hoc fit, brachio pristinum statum retinente. Jam vero, si consuetudinis pertaesum est, si novarum rerum cupiditas incessit, quid potuit inveniri quod a priore minus recederet condicione ? non enim brachium, sed ima tantum pars ejus movetur.

Hoc quidem officit, quod gestus ratio inversa est, et, cum dextram protendi oporteret, sinistra reipsa protenta est. Sed quam nihil intersit utra manus porrecta sit, utra tunicam attingat, exemplum virginum aeginetici templi acroteriis insidentium vel maxime demonstrat (1) : etenim, cum germanas deas referant, una sinistro pede incedit, sinistraque manu pallium

(1) Quas aut in *Denkmaeler der alten Kunst*, I, tabb. 6-8 ; aut in *Expéd. de Morée*, III, tab. 58 sqq.; aut apud Clarac, *Musée de Sculpture*, tabb. 813-821, cum reliqua fastigiorum ornatione vide.

adducit, alia dextro pede dextraque utitur manu. Fit et Caryatidum contrario gestu responsio, et Deli quoque non immutabilis gestus, sed alternus (1).

Praeterea decuit pallium hinc potissimum adduci, quo pes est promotus : atqui ea lex viguit, ubi primum pedes sunt sejuncti, ut sinister potissimum promoveretur ; cui cum viriles, tum femineae statuae saèpius obsequuntur. Arti etiam consentaneum est, ut fiat gestus quaedam dispar symmetria, et justum motus contrarietate aequilibrium ; illinc igitur pedem promoveri, hinc porrigi manum oportuit ; illinc pallii extremas oras dependere, hinc colligi sinus, ut gestus gestui, pondus ponderi responderet.

Venio nunc ad pedes, qui sejuncti sunt. Quod jam tentatum esse in simulacro VI suspicatus sum, admonitus figurae liberiore habitu. Accedit quod nihil in medio est, crura aut juncta esse aut diducta oportet : pedes autem vel in recentioribus simulacris inter se minime distant ; corpus non praecipiti impetu fertur, sed ne incedit quidem.

Itaque inter utriusque seriei simulacra non murus aēneus obstat, quo dirimantur, sed campi intervallum patet, qui, ut longior est, ita facillime trajicitur, et per quem facillime miscentur. Nam, nisi longo tempore et per multos gradus transitusque, a primis inchoatisque simulacris ad ultima et paene perfecta perveniri non potuit ; fuit igitur conspirans ac continuatus artis processus, quo gestus vestimentique ratio immutata, species denique tota paulatim ordine informata est ; fuere etiam statuae, quae sculpturae incrementa singillatim omnia ostenderent : nos omnia in una semel coacta cernimus, ceteras enim desideramus, quae in medio fuerunt. Verumtamen, postquam propius inspeximus vel eas quae exstant, deprehendimus specie eas differre, non natura, et vincula etiam cognationis haec repperimus :

a. Vestis exprimendae novicia ratio etiam in antiquiore quodam simulacro tentata est (V) ;

b. Gestus tam leviter immutando paulatim informatus est, ut minimum sit inter utramque seriem discrimen, et vetustiora a recentioribus vix magis quam inter sese differant ;

(1) Confer ea quae supra p. 31-2 de simulacris xv-xvi scripta sunt.

c. Inferioris figurae descriptione etiam recentiora priorum aliquid retinent ;

d. Habitus quoque rigor non omnino obsolevit, sed interdum in optimis admiscetur ;

e. Laboris denique ratio, quanquam perfecta est, eadem obtinuit. Lapis enim primum in figuram caedebatur futurae statuae accommodatam ; postea inde tantum auferebatur, ut circuitus describeretur, et ea quae gallice « *plans* » dicimus ; tum accurate minuta quaeque exprimebantur, ita tamen ut ille circuitus, illa « *plans* » oculos potissimum impellerent, horum minor ratio haberetur. Idcirco et labore et aspectu etiam quaedam erat cognatio inter antiquissima simulacra recentioraque, quanquam illa in priore disciplinae parte consistebant, in singulis minus elaborata erant.

Quae cum ita sint, typi informandi, artis augendae tenor vix intercipitur ; nam quae non coram ostenduntur simulacris, ea mente quasi praesentire ac subodorari licet.

Quid si, lacunae supplendae causa, adsumuntur aliunde simulacra ? Namque virgo, quae Romae in Aventino est inventa (1), et signa, quae nuper Athenae et Eleusis suppeditaverunt (2) cum recentioribus cultu atque habitu concinunt, sed sunt labore multo duriores. Sunt etiam complura simulacra e marmore, sunt figlina aëneaque sigilla, quae mulieres habitu rigentes et gestu impeditas immobilesve exhibeant, vestis subtilitatem ac sinus summo studio imitentur ; in aliis est cum liberiore gestu vestis rigor conjunctus : idcirco fit quasi perpetua concatenatio, neque ullum deest vinculum (3).

Ut ad deliaca redeam simulacra, hoc etiam notaverim, omnia

(1) *Bullet. della Commis. arch. commun. di Roma*, 1881, pp. 106-164, tab. v. (G. Gherardini, Di una statua arcaica dell' Aventino, e d'alcune serie di sculture affini).

(2) Ἐφημ. Ἀρχ., 1883, tab. VIII ; 1884, tab. VIII.

(3) Vide in primis sigillorum Venerem exprimentium seriem, quam in Museo Parisiensi habemus; de qua sic praefatus est A. de Longpérier in *Notice des Bronzes antiques du Musée national du Louvre* (1879) p. 27 : « Les figures de Vénus ont été classées de façon à montrer le développement de l'art. On voit successivement les bras se détacher du corps... puis des essais de mouvement, et enfin peu à peu apparaître l'imitation de la vie. »

fere in eodem loco fuisse inventa ; quo generis communionem non parum devinciri arbitror.

Haec sit igitur totius capitis conclusio : simulacra ad unam gentem omnia pertinere, sed quae, ab ignobili stirpe orta, dignitatem in dies auctoritatemque amplificaverit.

CAPUT SECUNDUM

Quae sit vis simulacrorum ac significatio. — Cujus mortalium dearumve nomine sint appellanda.

I

Postquam gentilia esse simulacra ostendimus, jam quaerendum est quod sit gentis proprium nomen.

Sed forsitan dicat aliquis non unam gentem esse, neque nomen unum ; pleraque enim, non omnia omnino, in uno semel loco esse inventa ; societatem ergo generis, ut artis continuatione coagmentatam, ita locorum diversitate dissolutam esse.

De re ipsa non contendo, ut qui simulacra ex quattuor diversis regionibus collegisse me sim ipse professus ; quantum argumento concedere deceat videndum erit. Cujus quidem vim facillime possem extenuare : nam, cum simulacra sedecim sint, undecim intra recinctum simul jacebant, quae ut numero, ita auctoritate et serie juncturaque pollent. Sunt enim ea quae omnes typi artificiique mutationes a primo paene exordio exhibeant, et studiis plenissimam materiem sufficiant, nullo assumpto aliunde adjumento. Illa vero quae reliqua sunt quinque, illa externa, aut aliena etiam, quanti tandem debent aestimari ? Sunt omnia habitu simillima, artificio fere paria ; omnia ad recentiorem typi formam et provectiorem artis aetatem pertinent ; quin etiam unum non vere archaïcum est, sed ad antiquitatis speciem confictum (XVII) ; minimum igitur ad rem conferunt. Jam, exceptis duobus quae Paris ad forum inve-

nit, pessime sunt habita ; ita ut tum de laboris genere, tum de ipso statuae argumento dubitetur. Quid quod dispersa passim sese obtulerunt investigantibus, duo recinctus limini adjacebant, ea quae maxime semota erant centum passibus non amplius distabant ? Quamobrem liceat conjicere illa non hic stetisse quondam, ubi nunc sunt inventa; sed e recinctu oriunda esse, illinc casu quodam asportata esse. Tum vero, aut propter deformitatem praetermittenda omnino videantur, aut propter originis communionem in eamdem catervam adsumenda.

Ego vero neque huc, neque illuc confugere in animo habeo ; nam si abduci e recinctu simulacra potuerunt, adducendis etiam in recinctum patuit via ; adventicia ergo vel illa quae peribolo conclusa sunt, et fortuitum esse loci consortium suspiceris. Immo vero, nulla alia conclusio valet vigetque, quam quae omnium habeat reddatque rationem. Atqui, cum simulacra deliacis consimilia praesertim increbuerint, omnibus fere locis provenerint, simplex interpretandi ratio vix est probabilis.

Hanc igitur quaestionem nihil detrecto, sed in ulteriorem disputationis partem reponere satius duco, postquam signa undecim interpretatus ero, quae sunt loci cognatione conjuncta. Ubi enim, horum causa, typi universi vim definiero, in quot genera distribuatur, ad quot significationes trahatur, jam facillimum de aliis judicium exsistet.

Sed de illis etiam quae intra recinctum jacebant quaestio oritur utrum casu quodam sint coacta in unum locum, an necessario quasi consortio jam inde ab origine conjuncta. Equidem huic alteri opinioni naturam loci favere in prooemio jam asseveravi; sed propius res est examinanda, cum disputatio a cognatione potissimum simulacrorum sit profecta.

Si artis opera vel minutissima vilissimaque spectas, quae hoc loco sunt inventa, plurima perantiqua sunt, nullum primo a. Chr. saeculo recentius. Inscriptiones, quibus certissima fides adhibetur, iisdem finibus sunt inclusae : nam ex iis quae temporis notam ostendunt, antiquissima quinto saeculo vergenti (1), novissima (2) annis ante Chr. 52-42 attribuenda est. Quae vero novissima fuit, ima fovea atque ipso in saxo jacebat, ita ut

(1) *Bull. de Corr. hellén.*, 1879, p. 12 sqq.
(2) *Ibid.*, p. 376 sqq. — Alia dedicatio ineunte primo saeculo facta est, *Ibid.*, p. 378.

prius fieri congeries marmorum non potuisset. Itaque non accumulata sunt soli aequandi causa, cum porticus aedificaretur, quae tertio saeculo jam stabat (1). Neque vero in periculis occultata sunt ne violarentur, cum nullum integrum sit; neque, post direptam urbem, religionis causa, collecta, cum clades in annum a. C. 87 inciderit (2). Rursus illa ante quintum decimum aevi nostri saeculum jam latuisse verisimillimum est; quae si conspicua fuissent, neque mercatorum avaritiem, neque Cyriaci Anconitani, diligentissimi investigatoris, studium fefellissent, qui in commentariis neque mentionem, neque imagines illorum praestat (3).

Oportet igitur « medium aevum », quod dicitur, deligere, cum religiosi homines Deli constitere (4) : multum enim tunc in planitie aedificatum; hinc monasterium cum ecclesiis, hinc munimenta antiquis imposita fundamentis, et moenia undique producta. Tum simulacra aequando solo videntur esse congesta.

Multum sane profuerit cognoscere qui fuerit illo tempore porticus status ; nam, quoad stabat, aliunde inferri quidquam vix poterat; postquam est eversa, iter patuit ; sed res minus liquet. Utcumque vero fuit, ea fuisse arbitror adhibita quae in promptu erant, materiem non procul quaesitam, praesertim cum ubique aedificaretur, ubique fragmenta antiqua occurrerent. Praeterea, si hinc atque hinc allata essent simulacra, formae similitudo, aetatis congruentia merito admiranda foret. Denique simulacrorum aetas adjacentis aedis aetati respondet, quae vetustissima est omnium quas Deli indagavi, et priscam ionicae architecturae speciem exhibet.

Itaque non loco minus quam argumento artificioque connexa esse simulacra arbitror.

(1) Hanc scilicet causam protulit Furtwaengler, *Arch. Zeit.*, 1882, p. 328, qui abjecta congestaque Olympiae donaria commemorat. Sic et in Acropoli soli iniquitas sepultis simulacris fuit emendata ('Εφημ. 'Αρχ., 1883, p. 97).— Porticus, τῆς στοᾶς scilicet τῆς πρὸς τῶι 'Αρτεμισίωι, mentio fit jam Glauciade archonte, anno a. C. 282.

(2) Appian., de *Bell. Mithrid.*, 28 ; Pausan., III, 23, 3 ; Athen., v, p. 211 sqq. (Posidon. Apam. apud).

(3) Vide Cyriaci Anconitani manuscriptos codices, et Vaticanum 5252, et Monacensem 716 (Cod. lat.), qui delineationibus sunt insignes.

(4) Joan. Cantac., *Histor.*, II, 29, qui Σπιταλιωτάς (Hospitaliers de Saint Jean de Jérusalem) eos dicit, de eorum navarcho loquitur.

Positum sit igitur in primis quodcumque de uno demonstraverim ad cetera omnia pertinere.

Sed tamen, cum totum genus in cohortes duas sit divisum, alteram antiquissimorum, recentiorum alteram, satius duco de utraque vicissim judicare ; hinc enim non parum confirmabitur judicium, si sententiae, separatim dictae, concinant.

Venio jam ad significationem inquirendam, atque ut Aeneas, perplexus rogito :

O quam te memorem, virgo ?

qua te digner condicione, divinane an mortali ? Quo te nomine appellem ?

II

In hac interpretandi ratione, haec potissimum perpendi sunt solita : vultus significatio et corporis ipsius indoles ; gestus habitusque ; vestitus reliquusque cultus ; insignia denique quae saepissime addita sunt. Jam vero hujusmodi argumenta aut neutri simulacrorum seriei, aut uni tantum sunt accommodata.

Nam, cum tria capita suppetant, duo sunt admodum attrita, unum a corpore sejunctum ; cujus (tab. V) os cernitur quidem, sed nihil in eo apparet, nisi risu temperata majestas, quae statuis multis convenit. Fuit quidem praeclarissimi cujusque deorum heroumque peculiaris ac propria species quae, mente artificum informata, naturam ejus ingeniumque exprimeret ; verum illam subtilitatem in egregiis perfectae artis operibus invenias, in antiquis ac rudibus frustra requiras.

Pallium tunicamque in utroque sexu, in quacumque condicione usurpata fuisse neminem fugit, cui vasa picta vel minime innotuerint ; variam componendi amictus rationem consuetudini paruisse consentaneum est. Nec quia auro insignis mulier monile, inaures, fibulas κάλυκαςque gerit, certius quidquam inde colligitur. Quin diadema ipsum non deae tantum cuilibet convenit, sed femineo, ut ita dicam, generi est idoneum. Liceat

tamen animadvertere posterioris seriei simulacra quam mundi elegantiis similia sint statuae aligerae, quae et ipsa Deli inventa est, deam sine dubio exprimit ; neque ab Herculanensi Diana multum differunt.

Insignia nunc in utraque pariter serie desunt ; num ulla fuerint unquam simulacris adjecta incertum est, si Nicandrae ana thema unum exceperis.

Nam manuum una, seu femori occlusa insidet, seu tunicam colligit, quidquam gerendo vix par fuit; altera, quae aut pectori incumbit, aut protenditur, vacua fuisse videtur. Non enim tympani orbis in pectore eminet, non avis, non floris figura, quae in antiquissimis simulacris saepius occurrunt ; protenta vero manus, sive erecta, sive supina fuit, vestigia nulla ostendit neque floris, neque virgae, neque paterae, vel aliarum rerum quae solent adesse : atqui, si solido e marmore insignia constitissent, indicium aliquod permansisset, manus ipsa non fracta fuisset ; si e metallo forent adjecta, vel color ipse admoneret. Rem tamen in medio praestat relinquere.

Gestu parum edocemur, si priorem seriem spectes ; is enim est qui antiquissimis simulacris ad unum omnibus conveniat ; si de posteriore agitur, omnis ab illo interpretatio pendet.

Duplex igitur sit disputationis ratio, una quae ad Nicandram et socias ejus pertineat, altera quae recentiorum simulacrorum genus universum complectatur.

In Nicandrae anathemate hoc demirabar, manus ambas ex industria pertusas esse ; quas ornamentum aliquod gessisse intelligebam, quale vero illud fuisset ambigebam ; sed nuperrime collecti ab Schreibero in *Archaeologische Zeitung* (1883, p. 283-4) nummi quaestionem expedierunt (1).

Namque doctus ille vir, dum refellit opinionem eorum qui columnam Minervae Virginis manui suppositam graecorum sculptorum consuetudini non repugnare, immo obsequi praedicant, quattuor producit nummis incisa simulacra, quae talibus fulcris inniti sunt credita, et, re diligentius perspecta, fulcra esse negat, vittas esse infulasve constituit : infulis ornatum esse delphicum umbilicum et tripodem Apollinis ; infulis deos etiam interdum insignes esse, et taurum ipsum qui Europam

(1) Th. Schreiber, *Parthenosstudien*.

vehit (1); infulis antiquissima simulacra, quae xoana dicuntur, saepius ornata aut involuta fuisse (2). Quas vel manibus prehensas, vel aliunde pendulas gerunt Ephesia Diana, Samia Juno, Jupiter Labrandeus, Ilia Minerva (3); quas utrique deliaci xoani manui insertas fuisse reor.

Nota autem dignum est istiusmodi insignia, ubicumque occurrunt, vel ad deos deasque, vel ad res sacras et lapides pro numinibus habitos spectare. Unde praeclara lux oritur de natura simulacri deliaci, et deam efflctam esse apparet. Scio quidem nonnullos contendere vel sacerdotibus concessa esse insignia, quae numini ab ipsis culto convenirent. Neque infltias iverim (4); sed jam nego discrimen ullum inter deae sacerdotisve effigies interesse, neque ulla ratione hanc ab illa secerni posse, nisi inscriptionis auxilio : atqui titulus Nicandram sacerdotio functam esse omnino non declarat.

Deae igitur effigiem Nicandra Dianae sacraverat; age vero, quae condicio est illius simulacri, ea ad universam seriem spectat, si priori disputationi creditur; itaque omnibus simulacris expressam esse deam conjecerim.

Quid quod inferior pars signorum I, II et V (tabb. I, III), figura ac descriptione congruunt, non cum antiquissimis modo xoanis, sed cum lapidibus etiam, qui primi numinum loco sunt culti (5)?

De his hactenus; jam ad posteriorem seriem transeo, quae gestu manus pallium adducentis est insignis.

Si vulgatae assentior opinioni, gestus ea vis est ut deas duas

(1) Testimonia ab Schreibero mutuatus sum, n. n. 13, 14, 15.

(2) Schreiber Dianam Astyrenam notat; cf. Jovem Labrandeum, Dianam Ephesiam ; proferre quoque licet lapides pro idolis antiquissime habitos ; quorum multos Gerhard commentationi « Das Metroon und die Göttermutter » in tabulis adjecit (*Akadem. Abhandl.*, tabb. LIX-LXII.) Vide in primis LIX, 1, 2, 3, 17. Cf. nummum tab. XLIII, 15 expressum, in quo vel Semiramis et Derceto, vel Cabires, vel Dioscuri agnosci possunt.

(3) Schreiber, *l. c.*, tab. 4, 2, 1, 3. — De his infulis agitur, ut opinor, in carmine quod Clemens Alexandrinus servavit (*Stromat.*, I, 25) :

Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισιν
πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

(4) Namque et in deliacis et in aliis catalogis invenias vestes, coronas aliaque ornamenta, quae numini sacra essent, a sacerdotibus gestata fuisse.

(5) De qua re fusius in capite III tractabitur, p. 72 sqq.

certissime demonstret, his sit proprius ac peculiaris. Nimirum inter doctos fere constitutum est, ut hujusmodi simulacra aut Veneri adjudicent, si graecae fuerint aetatis, aut Spei, si romanae. De quibus commentationes duas composuit Gerhard (1), ille interpretandi magister, et amplissime disputavit Bernoulli (2) in libro qui *Aphrodite* est inscriptus. Utraque autem appellatio et certissimis testimoniis et titulis etiam non semel comprobata est.

His tamen plus vero tributum esse arbitror (3), et facillime demonstraverim. Nam, ut iis tantummodo utar exemplis quae Gerhardi indices tabulaeve suppeditant, sigillum invenio, quod Ilithyiae fuit dedicatum (4), aliud quod Juno Cupra nuncupatur (5); cetera mitto. Scio equidem quae sit Ilithyiae cum Venere cognatio, quanquam et aliis numinibus affinis est (6), et Junonem cognomine Cupram ad Venerem propius accedere intelligo, quae Cypro potissimum dominabatur; nec me fugit alios aliis deos dedicatos fuisse; sed tamen suspicor gestum illum, qui Veneri soli convenire dictus est, a germanis saltem deis fuisse usurpatum.

Jam e catalogo, quem composuit Bernoulli, multa eximenda esse simulacra ostendit et exemit etiam Gherardini (7); qui, dum statuam in Aventino repertam illustrat, de typo fusius tractavit, et quomodo inventus ille pervulgatusque sit, quot in classes distribui debeat, quibus mortalium dearumve effingendis accommodatus fuerit plenius disseruit.

(1) Gerhard, Ueber Venusidole; Ueber die Kunst der Phönizier, *Akad. Abh.*, p. I, 258-84, II, 1-21, tabb. XXVIII-XXXIV, XLI-XLVII.

(2) Bernoulli, *Aphrodite*, 1873.

(3) Jamdudum huic opinioni adversatus est Aldenhoven, cum statuam archaicam ex Albanensi villa, nostris consimilem, publici juris fecit in *Annal. dell' Inst. di Corr. arch.*, 1869, p. 104 sqq.; qui gestum eumdem Dianae, Minervae, aliisque convenisse scribit.

(4) Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. XXXI, 6: quae nunc est in Museo Britannico (*A guide to the Bronze Room*, p. 13.)

(5) Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. XXXVI, 6.

(6) Tum imprimis Dianae (Pausan., III, 14, 6; Diod. Sic., V, 72, 5.). De cultu Dianae Ilithyiae apud Boeotos cf. *C. I. G.*, 1596, 1597; Keil, *Zur Syll. inscr. boeot.*, p. 589; *Mittheil. des D. A. Instit. in Athen*, V, p. 129, VII, p. 357; Ἀθήν., IV, p. 294. Etiam Ἀρτέμιδες, ut Εἰλείθυιαι, invocatae sunt (*C. I. G.*, 1598). Cf. Roscher, *Ausführl. Lex.*, s. v. Artemis, p. 571 sqq.

(7) Gherardini, *Bullet. della Comm. arch. comm. di Roma*, 1881, pp. 106-164, tab. V.

Cujus sententiae summa haec videtur esse : In antiquioribus quidem simulacris Venus potissimum occurrit, non ita tamen ut omnia sui juris faciat ; Nymphae enim inveniuntur, dearum Acropolim obtinentium et Minervae in primis ministrae, et aliae quaedam humiliores deae, Victoria scilicet, Horae Charitesque; sacerdotes denique et sacerdotum adjutrices puellae, et omnis generis hieroduli, et quae in architectura Caryatidum munere funguntur virgines ; adnumeranda etiam e majoribus deis Minerva galeae prodita apice.

In noviciorum signorum serie Venus omnino abest, Spes saepissime occurrit ; sed et hierodulis est locus, et Diana Minervaque aliquando sunt expressae.

Typus idcirco non Veneri vel Spei unice addictus fuit ; sed permultis etiam vel mortalibus, vel potissimum deis est idoneus.

Censum, post Gherardinium, facere piget, qui fuit diligentissimus ; sed typum latius etiam patere quam putavit nonnulla exempla demonstrant, quae sunt praetermissa : namque anaglypta aliquot neglexit ; vasis pictis omnino non usus est. Ego vero materiem non exhauriam, sed delibabo, hinc atque inde temere adsumens, ut appareat quam tritus, quam publicus fuerit ille gestus.

Haec igitur anaglypta — ea quae vere antiqua sunt dico — gestum illum exhibent :

1° Atticum, quod in Museo attico τῶν Πατησιῶν asservatur; cum saepius, tum nuperrime atque optime a nostro Rayet publici juris factum est in *Bulletin de Correspondance hellénique* IV, pag. 540, tab. VI. Illic virgo, subtili tunica implicatoque pallio induta, ante insidentem matronali habitu mulierem stat ; dextram autem attollit, sinistra adstrictam in corpore vestem trahit et in longos tenuesque sinus colligit. Quam Schoene (1) defunctae parenti, ut solet, valedicere arbitratur ; Rayet vero, numini supplicare ; uterque mortalem judicat.

2° Aricinum (2), quod Orestem, occiso Aegistho, matris verecundia haesitantem exprimere vulgo creditur. Mulier, quae Oresti proxima est ac deprecari videtur, manu pallium adducit; idem fere et Electrae gestus est.

(1) Schoene, *Griech. Reliefs*, n° 122, tab. XXIX.
(2) Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik.*, I, p. 160, tab. 31.

3° Xanthicum (1), quod auctoritate plurimum valet et cum deliacis simulacris maxime congruit; namque tempore et artificio non multum distat, et mulieres, non gestu tantum, sed comendi vestiendique ratione, munditiarum decore, aspectus denique subgravi dignitate et uberiore forma consimiles exhibet.

Occidentali autem fronte, tres virgines throno insidentem deam adorant; quarum proxima dextra manu pallium in sinus colligit, sinistra, pallii oram vultui quasi velum praetendit; media florem hinc, illinc granatum gerit; ultima dextra ovum attollit, sinistra tunicam prehendit. Quas Horas esse ad Cererem accedentes convenit (2).

Orientali fronte, res eadem agitur; sed viri deo donaria ferunt; jam vero eorum qui pone thronum stant alter manu pallium adducit.

4° Parthenonis (3) metopa quaedam virgines duas profert, earum, ut videtur, quibus simulacri vestiendi adornandique fuit cura; xoanon est in medio, cui una manum imponit; altera vero tunicam adducit.

5° Dandus etiam Corinthiaco puteali (4) locus, si genuinae, non affectatae est antiquitatis; in quo Peitho, quae dicitur, est eodem gestu conspicua.

Si ad recentiorem aetatem veneris, materies non deficiet, quia studium antiquitatis et in Graecia et Romae potissimum ferbuit. Multa sane anaglypta commemoravit Gherardini, et marmorea et fictilia: quae ad religionem plerumque spectant; nam hieratica, quae dicitur, consuetudo sacris praecipue imaginibus conveniebat. Licet adjicere anaglyptum, quod dicitur, Spadense (5), quod Dianae gestum eum tribuit. Est aliud, vulgatum satis, in quo mulier cernitur valedicenti et jamjam abi-

(1) Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik*, I, p. 171, tab. 37. — Rayet, *Mon. de l'art antique*, tabb. II-VI, fasc. V.

(2) In Thasia quoque ara, Nympharum una eodem habitu insignis cernitur. Miller, *Revue Arch.*, 1865, p. 438 sqq.; Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik*, I, p. 167, tab. 35. Optima imago apud Rayetum, *Monuments*, tabb. IV-V, fasc. I.

(3) Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. XXIII, 4.

(4) Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik*, I, p. 142, tab. 22. Cf. Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. XVII, 1.

(5) Braun, *Zwölf Ant. Basrel.*, tab. 3; cf. Roscher, *Ausf. Lex.*, s. v. Amphion p. 311.

turae similis. Alia alii nomina praetulere; sed anaglyptum funèbribus adnumerare fortasse praestat.

Vides quam argumento diversa sint monumenta, quorum alia ad deorum cultum, alia ad vitae privatae consuetudinem, alia ad heroum gesta attinent; quam diversis personis sit accommodatus gestus, qui mortalibus numinibusque cujuslibet condicionis convenit.

Multa quoque et varia exempla ex vasis pictis depromas, si Gerhardi aut Lenormantii libros vel temeraria manu evolvas, musea vel raptim perlustres.

Namque hic meretrix cum homine colloquitur (1); illic sponsa famulis valedicit vestes diligenter plicantibus et in cistam reponentibus (2); aut matrona, sutoris tabernam ingressa, calces fieri imperat (3); aut mulieres ad fontem sunt congregatae, quarum aliae, amphoris plenis, discedunt, aliae hauriunt aquam, aliae, dum exspectant, confabulantur; omnes autem eumdem gestum amictumque referunt (4).

Gestum etiam deae usurpant; sic Ceres ad reducem filiam properat, et Proserpina, Mercurio duce, currum anteit quo Minerva Plutoque vehuntur (5); sic, cum Triptolemo, Cerere, Proserpina, virgo incedit cui nomen adscriptum est Eleusis (6), et Hesperidum una coram Herculo saltat (7). Irin, Peitho, Parcarum unam Minervamque hoc vestis habitu occurrere auctores sunt Lenormant ac de Witte (8); complures etiam Dianae effigies hoc gestu insignes in catalogo Musei Neapolitani Heydemann commemorat (9).

De ceteris reticeo; non enim indicem componere cogitavi, qui omnia complecteretur; sed specimen rei dare, quod concludendi satis amplam materiem suppeditaret.

Jam vero conclusio haec est : gestum scilicet vulgatum et quasi in promiscuo esse; universo enim mulierum generi,

(1) Gerhard, *Auserles. Vasenbilder*, tab. 296, 3, p. 69.
(2) *Ibid.*, tab. 301, p. 73.
(3) *Mon. dell'Inst. di Corr. arch.*, XI, tab. 28, I.
(4) Vas est in Museo Parisiensi.
(5) Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. LXX, I, 2.
(6) *Monum. dell' Inst. di Corr.. arch.*, IX, 43.
(7) Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. II.
(8) *Elite des Mon. Céram.*, I, 22, 63, 71.
(9) *Vasensammlung des Mus. Naz. zu Neapel*, nn. 2466, 2530, 2539. — S. A. 120.

seu mortales, seu deae sunt, et quamcumque rem agunt, convenire.

Nec mirum est, cum nullus alius gestus tam utilitati accommodatus, vel potius tam necessarius, tam denique re ipsa celebratus potuerit inveniri. Nam laxior diffluensque stola, pallium amplissimum, nisi manu collecta adductaque sunt, incedentem impediunt. Quod si quis animadverterit eumdem gestum cum rigente et, ut videtur, brevi artaque veste esse conjunctum, respondebo alia de causa angustam pariter vestem motui officere, cum divaricare sit difficillimum; praeterea in arte antiqua multiplices vestium sinus nusquam expressos fuisse. Age vero, qui fieri potuit ut ars, naturae obsequentissima, veritatis diligentissima, consuetudinem in illa re non imitaretur ? Decuit igitur gestum illum, ut in hominum, ita in simulacrorum usu increbrescere. Quam tunc usitatus ac vere publicus fuerit antiquae artis monumenta demonstrant (1); sed ex confictis ad antiquitatis speciem operibus vel maxime percipitur. In quibus insitus quodam modo est, et necessario redit, fere ut sinuum pares ordines; adeo antiquitatis quasi nota et peculiare signum esse videbatur (2)!

Accedebat etiam hujus gestus deligendi alia causa, ex artis proprio officio profecta; nam fuit dandum munus brachio, quod priscorum artificum imperitia pendulum vacuumque lateri devinxerat; oportuit denique pendentis pallii pondus ex altera parte pari quodam pondere librari.

Jam vim gestus ex suprascriptis exemplis licet colligere. Qui primo motum incessumque significabat, fere ut divaricata crura genuque unum solo nitens cursus impetum exprimebant (3); nam cum rudis esset indoctusque populus, artifices ingenio vel facultate indigerent, simplici certaque commentorum ratione

(1) Jam hoc animadverterat O. Mueller, qui inter antiquiorum simulacrorum peculiares notas numerat « die eigne Haltung der Finger, die beim Anfassen von Sceptern, Staben und dergl., an weiblichen Figuren auch beim Aufnehmen der Gewänder immer wiederkehrt. » (*Handb.*, p. 74).

(2) Permulta opera collegit Gherardini, nec catalogum augere est difficile.

(3) Adeo ut in Dodonaeo quodam sigillo brevissima tunica, quae coxas tantum tegit, sit manu adducta. Quod vide in : Carapanos, *Dodone et ses ruines*, II, tab. X, 1, 1 *bis*. Cf. Rayet, *Monuments*, tab. XI, 3, fasc. VI. Atalante ei nomen inditum est, falso, ut opinor.

utendum fuit, quibus aperte simulacri cujusque argumentum eluceret.

Sed mox exquisitius aliquid excogitatum est : luxuries vestis, gestus etiam elegantia juvenili potissimum aetati est idonea ; expeditior accinctus, ingressus alacritati, atque in primis saltationi accommodatus ; quae virginum sunt omnia. Factum est igitur ut hoc corporis vestisque habitu virgines potissimum declararentur, vel juniores elegantioresque mulieres, et, quemadmodum pallio in caput adducto matronae, sic tunica vel pallio in sinus collecto virgines paterent (1). Id aliud fuit priscae artis commentum.

Factum est quoque ut aliquid religionis haberet gestus. Etenim in choreis usurpabatur, quae in honorem deorum fiebant ; et, cum ad deos accedere non sine lege liceret, qua animi mens ac voluntas, vestium apparatus, habitus denique incessusque definitus erat, deos adorantibus et iis qui in templis famulabantur imperatus fuisse videtur. Idcirco in archaïstica, quae dicitur, arte plurimum viguit, ut quae argumenta ex religione sumeret plerumque.

His igitur vicibus ad certam mulierum classem paulatim recidit gestus ; sed primum universo generi, immo viris etiam conveniens fuerat ; nec fuit unquam uni admodum personae reservatus.

At enim parum in quaestione solvenda sumus progressi ; hoc tamen demonstravimus non Venerem utique esse simulacrum quodcumque collecta tunica est insigne ; sed de unoquoque summa cum libertate, summa etiam diligentia dijudicandum esse ; sententiam enim non a certa formula, sed a vario cujusque aspectu et locorum discrimine pendere. Hac lege fiat judicium.

Si ad humanam naturam deliaca signa referuntur, nomina investigare, nullo titulorum auxilio, est irritum ; illa in certa classe censere tantum licet, quae sit aut sacerdotum, aut orantium.

Doctorum plerisque placuit statuas, quae, aspectu simillimae,

(1) Heuzey, *Catal. des fig. du Louvre*, p. 89. « D'une main elles tiennent contre leur poitrine une colombe et de l'autre elles relèvent le pan de leur draperie, double geste qui, dans les anciennes représentations de l'art grec, caractérisait les déesses jeunes et belles... «

numero permultae, in antiquis fanis provenerunt esse imagines sacerdotum, qui vicissim templis praefuerint. Sic sedentes figuras quas Acropolis effossa reddidit, sive ex argilla, sive e marmore constant, Schoell, O. Jahn aliique non Minervae ipsi attribuerunt, sed Minervae ministris, etiam cum gorgonium in pectore eminet (1). Ex insula autem Cypro magna sacerdotum caterva, immo exercitus emicuit: qui stant, manibusque donaria aut insignia ferunt; alii alio more induti sunt adornatique. Pausanias (2) quoque testis productus est, qui scripserit usitatum apud Graecos fuisse, ut in fanis juxta vias sacras ponerentur ex ordine effigies sacerdotum, virorum pariter feminarumque.

Quid vero? Quae sunt Pausaniae ipsa verba? « Ante aditum, inquit, templi Junonis quod Argis est, simulacra posita sunt, cum mulierum quae sacerdotio sunt functae, tum heroum, quorum unus Orestes. » Idcirco nec formulam constituit de omni templo, nec de Heraeo ipso quidquam affirmat, nisi inter alias statuas esse quae sacerdotibus erectae forent. Cujus sententiae vim plus justo adauxerunt, qui hoc moris fuisse contenderunt ut, quicumque in sacerdotio decessisset, ejus fieret simulacrum, simulacra longo agmine, fere ut apud Aegyptios sphinges, instruerentur.

Quid quod statuae sacro Branchidarum itineri assidentes, Newtonio interprete, se principum regulorumque dona et effigies profitentur esse, non sacerdotum (3)? Siquidem noster Rayet consimiles alias in necropoli milesia invenit (4), dicas ergo solis sacerdotibus sepulturam hanc patuisse !

Jam in cypriacis simulacris sacerdotes agnoscere se negat Renan (5); illos expressos esse putat qui hebraïca lingua « sacri-

(1) O. Jahn, *De antiq. Minerv. simul.*, p. 2, qui et Schoellium citat (*Arch. Zeit.*, VIII, p. 1 sqq.).

(2) Pausan., II, 17, 3. Ἀνδριάντες τε ἑστήκασι πρὸ τῆς ἐσόδου καὶ γυναικῶν αἳ γεγόνασιν ἱέρειαι τῆς Ἥρας καὶ ἡρώων ἄλλων τε καὶ Ὀρέστου.

(3) Statuas expressit Newton, *Hist. of Discov.*, p. 527 sqq., tabb. LXXIV-LXXVI. Inscriptiones sunt et apud Newtonium, p. 777, 781, 783, 784, 782, 787, tab. CXVII, 66, 67, 68, 70, 72, 71, 72a et apud Roehlium, *I. G. A.*, 483-5, 488-90.

(4) Quae nunc in Museo Parisiensi asservantur. Sunt in libro *Milet et le golfe Latmique*, expressae; cui et earum quas Newton invenit quaedam mirabiles accedunt effigies.

(5) Renan, *Rev. Arch.*, n. ser. XXXVII, p. 323. Cf. quae de re scripsit Perrot, *Hist. de l'Art*, III, p. 254 sqq.

ficii magistri » sunt vocati, id est qui deo fecerunt: quisque adeo manu gerit ea quae dedicavit munera; quisque suo more vestitus est. Quae quidem opinio difficilem sane quaestionem enodat: nam, cum simulacra eodem artificio elaborata, eodem tempore confecta, vestitus diversissimas rationes exhibeant, sacerdotes illos fuisse omnes, habitu tam differre vix aequo animo credideris.

Quod ad Delum attinet, si inscriptiones fidem faciunt, minus hic sacerdotibus famae atque auctoritatis concessum fuit; quippe quorum in titulis honorariis, in templorum rationibus, in populi senatusque decretis mentio perraro occurrat.

Age vero, cum abundent simulacra deliacorum similia, quam multa sunt quae sacerdotalibus feminis certissimo judicio sint vindicata? Si novicia excipias, vix unum vel alterum. Nam video ego quot genera sacerdotum ministrarumque dinumeraverit Gherardini, hydrophoros, arrhephoros, canephoros, anthephoros et gregem omnem hierodulorum; verum effigies certas desidero. Immo, inquam, quod dijudicanti argumentum, quod indicium est, quae spes, si, ut conceditur, sacerdotes eodem cultu habituque ac dii ipsi vel deae incedebant?

Sic igitur concludendum reor : nec, sacerdotes si sunt, ullo discrimine illas a numinibus differre, nec sacerdotes utique esse videri.

Suntne ergo mulieres numen adorantes? Vide tamen quae sit orantium species, qui habitus. Nam ubicumque mulieres in hoc opere certissime versantur, aut erecta sursum manu, qui proprius est adloquentium supplicantiumque gestus, aut protenta, ut decet offerentes, allata dona ostentant. Deliacae vero statuae, si gestum recte interpretor, accipere magis quam offerre videntur, aut majestatis potius insignia quam pietatis munera gerere.

Si neque deorum ministris neque orantibus sunt adnumerandae, e mortalium demum numero eas eximi necesse est, inter numina recenseri.

Eo igitur fert utrimque disputandi ratio, ut credamus divinas, non humanas esse eas effigies, quae commentationis hujus materiem suppeditant.

III

Nunc de nomine est decernendum ; namque deam esse constat, quaenam dea sit ambigitur. In hac autem quaestione argumenta hactenus adhibita minus pollent ; duo maxime prosunt : natura loci quo simulacra fuerint inventa, titulorum, qui simulacris incisi sint, significatio.

Sed, priusquam deam nomine nuncupemus, inquirere attinet in quem numerum atque ordinem sit referenda. Sunt enim in Olympo dignitatum gradus ; sunt minora numina majoraque. Ea autem simulacra, quae sunt deliacorum consimilia, deis minoribus attribuunt Milchhoeffer, Gherardini (1) aliique docti : quae Nymphis, Horis, Parcis, Charitibusve effingendis maxime idonea existimant ; Damiam etiam Auxesiamque (2), acroteriis aeginetici templi impositas, commemorant. His assentiri videtur Furtwaengler (3) qui, ut iis obsequatur quae Delii de antiquissima insulae historia tradebant, aut Virginum hyperborearum, aut Anii filiarum statuas esse conjectatur, quae Deli sunt inventae ; attamen aliter interpretantibus non adversatur.

Non libet referre ea quae Damiae Auxesiaeque appellationibus objecit Brunn, nec quae aliis singillatim objici possunt ; sed de Delo tantum disseram.

Hoc equidem valde miror, minores deas, et quae in Olympo famulantur, tanta religione esse praeditas, toties expressas fuisse, illas quae regnant imperantque simulacris caruisse : quod si verum est, veri nequaquam simile est, quanquam fortuna in simulacrorum vicibus dominatur. At enim Charites, Horae aliaeque ejusdem generis deae, aut gemina sunt numina aut trigemina ; quare effigies earum abundare vel maxime possunt. Immo vero, si natura duplices triplicesve sunt, si arte conjunctae necessario fuerunt, qui fit ut Deli, ex duabus tribusve, singulae tantum superstites fuerint, idque quinquies.

(1) Milchhoeffer, *Mitth. d. D. A. Inst.. in Athen*, v, p. 313, et n. 1 ; Gherardini, *o. c.*

(2) Quae sententia plerisque placuit, Brunnio minus probabilis videtur (*Descript. de la Glypt. de Munich*, p. 93).

(3) *Arch. Zeit.*, 1882, p. 327. — Diana nomen illi non displicet.

Majores deae Deli fere omnes colebantur, sed praecipuo quaedam honore.

Nam Junoni fuit sacratum Ἡραῖον, fuit dicatum simulacrum sacerdosque addicta ; Minervae, aut Pronaeae cognomine, aut Soterae, sacra fiebant ; de Thesmophorio etiam perhibetur, quod aedes sacras, altaria, porticum complectebatur, et magnam fuisse loci religionem sacerdotes Cereri ac Proserpinae devotae, sollemnia dicta Thesmophoria, caesae victimae demonstrant. Latonae vero, quae Deli Deliorum augustissima numina genuit, eximia fuit laus ac reverentia ; quae cum liberis Apolline et Diana in omni dedicatione consociata esse solet ; cui propria aedes Λητῷον fuit et ab antiquissimo tempore stetit signum. Nec de Ilithyia tacebo, cujus decus, quanquam mature obsolevit, et in mythologia deliaca, et in antiquissima arte non obscurum omnino fuit (1).

Sed primae partes Veneri Dianaeque sine controversia deferebantur : itaque utra potissimum sit deligenda dubitari potest, alterutram utique deligi necesse est.

Venus antiquitate forsitan praestiterit ; quam Phoenices intulere ; Delus enim et opportunitate loci et purpurae abundantia nautarum opificumque genus allexerat. Diana, ex Asia et ipsa profecta, artam cum Venere cognationem obtinebat, ita ut novam religionem facillime amplecterentur homines, antiqua non abjecta, sed facta utriusque quasi admistione quadam. Idcirco Venus non detrusa est, sed aequo fere foedere in honorum consortium vocata ; nec prisci decoris quidquam amisit, nisi quod in secundis debuit consistere.

Quantum Veneri Delii tribuerint dedicata numini ejus simulacra demonstrant : nam Theseus, cum e Creta redux Delum appulit, Venerem, non Dianam dicitur coluisse, et Ἀφροδίσιον, Veneris scilicet signum, dedicasse, quod ab Ariadna acceperat (2). Nunc etiam plurima sigilla vel statuarum fragmenta exstant ad speciem deae informata, et tituli nonnulli in honorem ejus concepti : quorum aetas usque ad primum a. C. saeculum interdum recidit. Fuit Aphrodisium in planitie, non longe a mari, Apollinis delubro continens ; fuit in templo donariorum ditis-

(1) Quodcumque de diis affirmo, ex hieropoeorum rationibus templorumque inventariis desumpsi.

(2) Pausan., IX, 40, 3.

simus thesaurus, arcaque in quam stipes a sacrificantibus infundi solebant; fuere etiam festa, Aphrodisia dicta, quae quotannis mense Hecatombaeone flebant (1). Venerem vel recentiores tituli cum Apolline aliquando consociant (2).

Deliae autem Dianae auctoritatem verbis confirmare supervacaneum est; quae cum Apolline divisum insulae dominatum habet; quae vel ante Apollinem nata esse ferebatur. Idcirco vix sine sorore Apollo invocari solitus est (3); Diana non templum modo habuit, in quo pulcherrima quaeque ἀναθήματα sunt oblata (4), pecuniae publicae sunt sepositae (5), et τέμενος ornatissimum, quod Apollineo soli fuit secundum (6); sed, diversis etiam insulae regionibus, variis cognominibus fuit culta (7). Quod Dianae nullum xoanon auctores commemorant, casu certissime factum est; nam Diana vel antequam artium disciplinae sunt inventae, rudibus saxis designata magis quam expressa fuit (8); ubi primum sculptura viguit, hujus potissimum deae effigies increbuisse videntur (9).

Ergo, si auctoritatem dignitatemque pendas, aequo fere marte numina ambo decertant; si faciem adspicias, sunt inter se vultu simillima. Est enim naturae quaedam et ingenii cognatio, qua sunt conjuncta, quamque longum Deli consortium artiorem fecit.

Satis sit, ne in mythologiae saltus deerrem, notissima quaedam itinera et communia velut loca perlustrare. Nam utraque dea vim naturae exprimit, qua res gignuntur et crescunt pe-

(1) Quae in catalogis inventariisque deliacis collegi.

(2) *Bull. de Corr. hellén.*, 1882, p. 43 (l. 128, 131). Est alia dedicatio inedita.

(3) Dedicationes vide quae in *C. I. G.* sunt (2280, 2282, 2284), quasque ego in *Bull. de Corr. hellén.*, an. 1877 sqq. publici juris feci. Interdum Dianae nomen aut primum, aut solum invenitur.

(4) *Bull. de Corr. hellén.*, 1882, p. 48-51. Catalogi multi praesto sunt adhuc inediti.

(5) *C. I. G.*, 2953b. *Bull. de Corr. hellén.*, 1878, p. 340-1.

(6) Cf. ichnographiam quae est in *Bull. de la Soc. de géogr. de l'Est*, 1881.

(7) Fuit enim Ἄρτεμις Δηλία Deli, in insula autem quae nunc Ρευματιάριον dicitur Ἄρτεμις ἡ ἐν νήσῳ; memoria quoque tenendum est et Opin, et Britomartin, et Ilithyiam, et Ortygiam cum Diana esse conjunctissimas.

(8) Daremberg et Saglio, *Dictionn. des antiq.*, s. v. ἀργοὶ λίθοι; Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. LIX.

(9) Overbeck, *Schriftq.*, 103, 109, 228, 229, 231, 251, 255, 256, 325, 326, 331, 334, etc.

reuntque ; utraque ex asiatico religionum fonte manavit, sive Assyrii numinis Anat, seu Phoeniciae Astartes germana creditur (1); utraque cum sole et luna, cum luce et tenebris necessitudinem obtinet (2), ac triplex imperium occupat superioris mundi, et hujus nostri, et inferioris etiam ; utraque triplicem induit formam, ac triplici nomine est vocata. Itaque fit interdum utriusque assimilatio ac quasi confusio quaedam, et nomen personamque invicem, ut ita dicam, mutant (3) Venus ac Diana. Nam, si graeca numina ex eadem mentis notione atque eodem sensu progenita, admiratione scilicet vitae mortisque in mundo vicissitudinum, ex eadem graecorum asiaticorumque elementorum temperie conflata, indole ac specie affinitatem declarant, qualem tandem Dianae ac Veneris similitudinem esse existimaveris (4)? Itaque, ut de antiquissimis symbolis, non imaginibus, loquar, diutissime Venus ac Diana columnae, vel pali, pyramidis conive figuram retinuerunt ; ambae etiam in nummis, anaglyptis vasisque occurrunt, eadem insignia gerentes, eodem comitatu stipatae : nam leonibus pariter gaudent, et faces praeferunt, et sole lunaque capiti utrimque impositis fulgent. Eumdem, vel provecta arte ac paene perfecta, vestitum eumdemque gestum ambabus tributum fuisse collecta supra exempla demonstrant.

Immo hic amictus gestusque Dianae ingenio ac moribus est mirum in modum accommodatus. Quem juvenili potissimum elegantiae atque alacritati convenire, et incedentium commoditati, et saltantium suavitati virginum idoneum esse statuimus.

(1) Cf. ea quae de asiatica graecarum dearum origine deque earum inter sese cognatione scripsit E. Curtius in *Hist. gr.*(trad. fr.), I, p. 62-63. «La même puissance symbolisée, l'inépuisable fécondité de la nature, mère et nourrice de tous les êtres, c'est la Mylitta de Ninive, l'Anahit des Perses, la grande Artémis qui s'est avancée à travers la Cappadoce et la Phrygie jusqu'à la côte, où on la vénérait, ici comme Rhéa, là comme Cybèle, à Éphèse comme Artémis, comme Héra à Samos. »

« Cette même déesse a été aussi fêtée à Corinthe sous le nom d'Aphrodite, qu'en Cappadoce sous celui de Ma. » — De Astarte agitur, p. 62. Cf. Lenormant, *Gaz. arch.*, 1876, p. 10 sqq., tabb, IV-VI ; Roscher, *Ausf. Lex.*, s. vv. Anaïtis, Astarte, Artemis, Aphrodite.

(2) Gerhard, *Akad. Abh.*, I, p. 264 sqq.

(3) Eadem sunt utrique cognomina Πειθώ, Εὐπραξία, Ἡγεμόνη, etc.

(4) De Dianae cum Venere cognatione : Perrot, *Hist. de l'Art*, III, p. 319, qui et Curtium citat *Die griech. Goetterlehre von gesch. Standpunkt* 1875 ; Heuzey, *Catal. des fig. antiq. du Louvre*, I, p. 36 sqq., 44.

Atqui Diana indomita ac pulcherrima virgo habita est, quae sagittis ac venatione et silvestri vita gaudet (1) ; sed et mitioribus voluptatibus indulget, nitido vestitus ornamentorumque cultu, munditiarum venustate delectatur (2), choreas cum virginibus exercet; illam nymphae comitantur ; illam virgines praecipue colunt, quae, aut illa duce in silvis, aut ad illam colendam circum altaria (3), saltant. Idcirco, sive in caelo splendentem impellit currum, seu in montibus saltibusque feras venatur, seu sub terram migrat, est quietis otiique impatiens, sed usque ingreditur strenua et pulchra. Est igitur agili lepore ac venusto vigore praedita.

Idcirco ne in Deliacis simulacris offecerit plenior validiorque ubertas. Prominentes quidem mammae et corporis robur matronali accedunt amplitudini ; verum O. Jahn in Minervae antiquissimis simulacris jamdudum reprehendit « corpus paullo « robustius et ubera praesertim crassiora quam pro viragine (4)» ; de Diana autem ipsa O. Mueller (5) admonuit deam prius longa elegantique stola indutam fuisse, ita vero informatam, ut sub veste perspicua forent membra ubertate ac vigore florentia. Immo rem latius tendere affirmavit O. Jahn (6) et in consuetudinem priscorum artificum transisse ; qui, dum vim ac majesta-

(1) Quare ἰοχέαιρα (*Il.* v, 447; *C. I. A.*, 407, etc.), ἑκηβόλος, ἑκατηβόλος, ἐλαφηβόλος (*C. I. A.*, 407 ; *Hymn. in Dian.*, IX, 6 ; Soph., *Trach.*, 214), θηροκτόνος (Theogn., 11) dicta est. Eadem significatio est aliorum cognominum οὐρεία, ὀρεῖτις, ἀγροτέρα (Roscher, *Ausf. Lex.*, p. 581-582). — Sagittis etiam cum Pythone, Tityo, Gigantibus pugnat ; sagittis Niobidas Aloïdasque ferit.

(2) Audit enim καλλίστη, Pausan., I, 29, 2, VIII, 35, 8 ; *C. I. G.*, 4445 ; Eurip., *Hippolyt.*, 64 (Roscher, *o. c.*). Eleganter induta cernitur, cum in vasis pictis, tum in statuis, quarum Herculanensem sat est commemorare (Clarac 565, 1200).

(3) De Diana, virginum sponsarumque dea, et chororum praeside scripsit quaedam Gerhard, *Akad. Abh.*, I, p. 182. Diana est Nymphis Charitibusque proxima ; Diana Καρυατίς a virginibus saltando colebatur. Atqui Nymphae, Charites Caryatidesque eadem veste utuntur, qua deliacae statuae.

(4) O. Jahn, *De antiq. Minerv. simul.*, p. 4.

(5) *Handbuch*, p. 552 : « In dem ältern Style, wo Artemis durchgängig lang und zierlich bekleidet (in stola) erscheint, geht das Streben besonders dahin, auch durch das Gewand die vollen blühenden und kräftigen Formen hindurchscheinen zu lassen. »

(6) « Corpus paullo robustius formatum est, qualem statum haud pauca antiquioris artis opera reddere solent, longe diversam a macilenta tenuitate, quam alii vetustiores artifices praeferebant. » *Ibid.*, p. 4.

tem student exprimere, ad crassitudinem inclinaverint. Quod ad Dianam attinet, quanquam inter virgines deas adnumerata est, inest tamen naturae ejus materni aliquid; nec absurdum fuit omnino viribus illam vigere, quae rebus animantibusque generandis praesit et alendis (1).

Hoc quidem hactenus demonstratum esse reor, simulacra deliaca ea esse, quae Dianae tribui possint, non adjudicari utique debeant. Anceps enim certamen inter Dianam nutat Veneremque, quae majore quidem simulacrorum praesidio stipata in litem venit.

Illa causa vincat necesse est, quae se domi esse, se in suo templo atque in suo agro commorari certissimo indicio comprobaverit. Jam utraque in judicium testes adducat, instrumenta proferat, quibus jus suum tueatur.

Venus titulorum duorum fidem invocat, qui intra recinctum jacebant, ipsius nomine sunt notati.

1. Εἰρηναῖος Εἰ|ρηναίου | Πινα(ρ)εὺς | Ἀφροδί|τη(ι) χαριστ|[τ]ήριον.

2. . . . .
. . . . τοῦ ἄλλου ἱεροῦ [ἐ-
πιμελεῖ]σθαι Διόδοτον · ἀν[αγράψ]αι δὲ τὸν νό-
μον] τόνδε ἐν στήληι λιθίνηι καὶ [στ]ῆσαι εἰς τὸ
ἱερ]ὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ ἀντίγ[ρα]φα εἰς τὸ
ἱερὸν] τῆς Ἀφροδίτης.

et Aphrodisium hic fuisse contendit, ubi dedicatio decretumque sunt inventa.

Diana vero plura sibi et graviora vindicat documenta, decretum dedicationesque.

1. . . . .
. . . ἀναγράψαι [δὲ τόδε τὸ ψήφισ-
μα] τὴν μὲν βουλ[ὴν εἰς τὸ βουλευ-
τήριον, τοὺς δὲ ἱ[εροποιοὺς εἰς τὸ ἱε-
ρὸν ἐν στήλει, κ[αὶ ἀντίγραφα εἰς Ἀρ-
τεμίσιον · τὸ δὲ [ἀνάλωμα εἰς τὴν
στήλην καὶ τ[ὴν ἀναγραφὴν δοῦ-
ναι τὸν ταμία[ν.

(1) Furtwaengler, in Roscher, *Ausf. Lex.*, s. v. Artemis, S. 6, 9: « Artemis als Göttin vegetativer Fruchtbarkeit, als Pflegerin des Viehstandes und der Wildbrut, als Geburts-und Mondgöttin. » — Estinter dum κουροτρόφος dicta.

2. Ἀρχίππη, Σωστράτου θυγατὴρ, Ἰκαρίου γυνὴ, Μυκονίη, Ἀρτέμιδι.

3. Ἱππάρχης Δημοκλέους, Πειραιεὺς, Στρατονίκην τὴν θυγατέρα, ὑφιέρειαν γενομένην καὶ κανηφορήσασαν Ἀρτέμιδι, Ἀπόλλωνι, Λητοῖ.

4. .... ις..... ὑφιέρεια..... Ἀρτέμ[ιδι (1).

5. et, qui longe antiquitate atque auctoritate praestat, titulum in ipso simulacro a Nicandra inscriptum :

Νικάνδρη μ'ἀνέθηκεν ἑκηβόλωι ἰοχεαίρηι (2).

Alios etiam, nec sine causa, titulos ut suos repetit. Nam, basis a Micciade Archermoque dedicata cum sit mutila, non minus ἑκηβόλωι ἰοχεαίρηι quam ἑκηβόλωι Ἀπόλλωνι dedicatio convenit (3). Statuas commemorat a Medeo et Timothea in honorem filiarum Philippes et Laodamiae erectas ; nam virgines ministerii consortio cum Stratonice sunt conjunctae, Diana cum Apolline et Latona in dedicatione adest (4). Immo participem se esse merito affirmaverit omnium quae ad Apollinem aut Latonam pertinent dedicationum. Si numero argumentorum, si auctoritati quidquam tribuitur, sibi, non Veneri, sacrum locum esse asserit. Nec falso ; Venus enim duobus titulis jus suum defendit, Diana vero quinque : jam illi duo minutis levibusque lapidibus sunt inscripti, quos amovere fuit facillimum ; praeterea non medio recinctu sunt reperti, sed in ipso limine ejus, et ea potissimum parte qua maxime apertus est. Horum autem tres magnis gravibusque marmoribus insunt ; omnes imis in penetralibus occultati latebant. Qui etiam longissimi temporis possessionem demonstrant, cum alius septimo ante Chr. saeculo, alius quarto, secundo alius sit adjudicandus.

Illa quoque afferre conducit, quae de topographia deliaca innotuerunt. Scilicet auctor libri qui inscribitur Heroïdes (5),

(1) *Monuments grecs*, 1879, p. 53, *Bull. de Corr. hellén.*, 1879, p. 380. — Licet addere inscriptionem ibidem publici juris factam (nº 19), in qua pro viri natione Apollinis nomen falso restitui. In eadem Deli parte inventum esse opinor titulum reginae Stratonices (*C. I. G.*, 2280), Dianae nomine extra ordinem praecedente Apollinis nomen.

(2) *Bull. de Corr. hellén.*, 1879, p. 1 sqq., tab. I.

(3) *Ibid.*, 1883, p. 254 ; Cauer, *Delectus*, 495 ; Brunn, *Ueber tekton. Styl*, p. 523, n. 1.

(4) *Bull. de Corr. hellén.*, 1879, p. 378.

(5) Ps. Ovidius (?), *Heroïd.*, XXI, 81-106. — *Bull. de Corr. hellén.*, 1884, p. 417 sqq. (L'autel des Cornes à Délos.)

fingit puellam ad Delum appulsam et sacra loca perlustrantem quae Apollinis templum adit primum; deinde porticus a regibus erectas, Ceratonem, et quaecumque fuerunt artis religionisque miracula invisit; tandem, ingressa aedem Dianae, ad naves redit. Nisi quis hanc fortuitam esse nominum enumerationem contendit, non veram locorum descriptionem, liquet aedem Dianae portui fuisse continentem, quae ultima litus petenti occurrit. Qui vero locus cum descriptione magis congruit, quam ille ubi simulacra sunt inventa?

Illic igitur Dianae templum constitisse, Dianam simulacris effictam fuisse verisimillimum mihi videtur; jam res manifesto eluceat, si demonstratum fuerit Aphrodisium alio in loco situm esse; nam una Venus cum Diana de possessione certat.

Atqui hujus Aphrodisii certa indicia suppetunt, post murum quo Apollinis ager conclusus est, quique hoc, Artemisium quod dico, templum complectitur. Hic enim area patet, quae cum agorae aedificiis et apothecis usque ad portum productis, tum Apollinis Dianaeque peribolo definita est; hic templi rudera exstant; hic Reinachio occurrit basis erecta ab Sulla proconsule(1), cujus peculiaris erga Venerem devotio notissima est (2); hic simulacra a Parisio inventa sunt quae usitatissimum Veneris typum referunt(3); hic denique ego et Reinach (4) repperimus sigilla e marmore permulta, quae sunt Veneris indubitatae effigies. Et amplior praeda fuisset, ni magna terrarum moles hic foret aggesta—quam aliquando discussurum esse me spero.—Ut nunc se res habet, Aphrodisium hic fuisse jam liquet : quod mari proximum est, ut templum decet a nautis conditum, a nautis praesertim celebratum ; ab Artemisio non procul distat, ita ut facillime hinc in Artemisium asportata esse possint marmora, quae Veneri templum sibi vindicanti favere visa sunt.

Perspicua est conclusio. Quid quod simulacra ipsa Dianae quasi nota ac charactere sunt signata? Hujus quidem, quod antiquissi-

(1) *Bull. de Corr. hellén.*, 1884, p. 170 sqq. (Fouilles près de l'Aphrodision). Inscriptionem vide p. 172 (*Ephem. Epigr.*, 1884, p. 605, n. 1424).

(2) Plut., *Sulla*, 19, 34. In inscriptione Oropi nuper reperta legitur: « Λεύκιον Κορνήλιον, Λευκίου υἱὸν, Σύλλαν, Ἐπαφρόδιτον » (Ἐφ. Ἀρχ., 1884, p. 100). Cf. Mommsen, *Hist. rom.* (trad. fr.), v, p. 391.

(3) Cf. supra, p. 31, nn. xv-xvi.

(4) *Bull. de Corr. hellén.*, 1884, p. 171, 172 et n. 8. — Mea sunt adhuc inedita.

mum fuit, lateri insculptum est epigramma, dedicatio scilicet in honorem Dianae concepta. Namque simulacrum, prisco more locutum, dicit se a Nicandra, muliere praestantissima, Dinodicis filia Naxii, Dinomenis sorore, Phraxi conjuge, Dianae dicatum esse, quae procul ferit sagittisque gaudet. Ex qua formula colligitur deae, non Nicandrae effigiem illam esse: age vero, si deam exprimit simulacrum, si Dianae dicatum est, cur nomen diutius inquiramus? Non me fugit alia interdum numina aliis esse consecrata; sed moris hujus nullum indicium in re video, et Dianam sine ulla controversia nuncupo.

Jam si omnia simulacra sunt inter se necessitudine conjuncta, loco, artificii ratione, aspectu connexa, nomen uni inditum ad omnia pervagari necesse est; omnia sunt Dianae adjudicanda.

Quae libet conferre cum notissimis ac certissimis hujus deae imaginibus: si antiquiora sumas, quadratum illud ac trabi simillimum, nonne in Iasensium nummis(1) incisum occurrit; aliud tunicae tereti vagina conclusum, atque ad pedes imos in fusi figuram attenuatum, nonne Dianae Ephesiae formam refert, quae ad aetatem usque romanam obtinuit? Si recentiora intuearis, quid tandem illa ab herculanensi Diana (2) secernit, praeter motus citiorem impetum; incedant modo deliacae statuae, illas neapolitanae simillimas judicaveris.

Operae etiam pretium est animadvertere alias hujusmodi statuas in aliis locis esse inventas, qui vel Artemisium includebant, vel Artemisio erant proximi.

Plures in summa Acropoli Atheniensium erutae sunt (3), ubi fuit Brauroniae Dianae aedes celeberrima; nonnullae in meridionali collis clivo (4), quem dejectis superne ruderibus cumulatum esse constat.

Jam quae Romae est, ea e coenobio SS. Bonifacii et Alexis, quod est aventino, provenit: illic autem Dianam praecipua religione cultam fuisse liquet; Veneris aut Spei templum nunquam fuisse Gherardini ipse fatetur (5).

(1) Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. LIX, 7. Dianam Iasi cultam fuisse Strabo demonstrat: *Iasios* non *Lasios* Dianam manibus Bupali factam ostendisse suspicatur Brunn, *Gesch. der Gr. Künstl.*, I, p. 40.

(2) Clarac, 565, 1200; Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik*, I, p. 194, tab. 45.

(3) Ἐφ. Ἀρχ., 1884, tab. VIII.

(4) Furtwaengler, *Mitth. d. D. A. Instit. in Athen.*, VI, p. 183. Cf. Milchhoeffer, *Ibid.*, V, p. 213, n. 1.

(5) Gherardini, *o. c.*

Ut ad Delum revertar, tam multa unius deae simulacra exstitisse non est jam quod mireris, cum illam non urbi tantum et insulae, sed toti insulanorum amphictyoniae praefuisse deam noveris.

Indubitatam prorsus veritatem assecutum esse me non affirmo, in re potissimum difficillima, cum tam similia, tam germana sint aspectu sculptorum antiquissima opera; sed plus quam probabilem opinionem amplexum esse me confido. Sunt enim argumenta, quae et singula movere possint; universa autem et connexa inter se debent movere.

Verumtamen conclusio ad ea dumtaxat simulacra spectat quae intra recinctum sunt inventa; de ceteris quoque stabilem sententiam ferre necesse est, quae supra seposita sunt, et quasi suspensa etiam nunc jactantur.

Cum in magna consimilium signorum abundantia, species singulorum nomina inquirentibus nullam certam nuncupandi causam suppeditaret, haec placuit disputandi disciplina, ut fidem faceret locus in quo singula essent inventa. Quamobrem effigies illas, quae extra recinctum Dianae sacrum jacebant, inter Dianae simulacra non licet adnumerare, nisi illas aut e recinctu asportatas esse, aut Dianae in aliorum deorum templis dedicatas fuisse certissimum sit : atqui nec probandi argumentum succurrit nec conjiciendi causa.

Ergo, loci testimonio iterum usus, Veneri tribuam simulacra duo quae ad Aphrodisium jacebant, praesertim cum Veneris pervulgatam, vel, ut nonnulli dicunt, peculiarem speciem referant; quae in diversis Apollinei agri partibus sunt eruta, ea in medio relinquam.

Me vero, recensu admonitum quem et ego et alii fecimus, non offendit quod tum Diana, tum Venus, tum denique alia quaelibet dearum mortaliumve eamdem speciem exhibet ; immo non displicet deliacorum etiam simulacrorum exemplis confirmari id quod de typi universitate constitui. Nam quo latius ille patet, eo magis ad conscribendam historiam auctoritas simulacrorum amplificatur.

CAPUT TERTIUM

Quid ad conscribendam sculpturae graecae historiam simulacra deliaca conferant. — Quomodo artis informandae rationem demonstrent. — E quibus principiis originem ducant. — Quibus temporibus, quibusve locis sint confecta. — Quid de asiaticae aut aegyptiacae sculpturae apud antiquissimos artifices vi atque auctoritate doceant.

I

De ratione interpretandi docti in diversas partes disputaverunt; qui, cum a me dissentiunt, tum inter sese non concinunt. Hoc vero convenit simulacra deliaca esse gravissima sculpturae graecae documenta, et quae ad artis hujus origines illustrandas plurimum conferant: quae res maximi est momenti, e nominum argumento minime pendet. Sint enim Veneri aut Dianae, sint deae aut mortali effingendae concepta, nihilominus similitudinum dissimilitudinumque continuata serie et disciplinae tenorem ostendunt, et processum ingenii significant, nova semper molientis ac, natura duce, veritatem pulchritudinemque sequentis. Immo, si jam constiterit typum in promiscuo, nomen in incerto esse relinquendum, vel hoc studiis minus officere quam conducere videatur.

Primum enim illa simulacrorum dubia infinitaque natura artis imbecillitatem prodit, neque inventione, neque opificio felicis. Summi quidem artifices potuerunt absolutum ac vere divinum majestatis exemplar informare, quo numen exprimerent; potuerunt etiam formarum tenuissima discrimina, vultus, habitus, gestus, corporis denique varias indoles mira subtilitate

excogitare, incredibili paene industria effingere ; ita ut, quot numinum personae sunt et provinciae, totidem significationes commutationesque fierent communis illius typi, quod ad universum deorum genus pertinebat. Verum labor ille creandi variandique typi antiquissimorum sculptorum ingenium ac facultatem excedebat, indocili etiamtum materie, religionis subobscura disciplina, deorum implicita natura : itaque aut res eis parum successit, aut ne periculum quidem factum est. Nec mirum, siquidem vulgaris opinio numinum indoles ac figuras vix discernebat ; poesis admistos humano generi superos fingebat, hominum habitu animoque similes, inter sese autem cognatissimos ac vere germanos. Nam ubicumque mortalis deae obviam venit, de nomine, de natura etiam ejus interdum anxius ille, interrogat quaenam adsit, fere ut Anchises in hymno homerico :

> Χαῖρε, ἄνασσ', ἥτις μακάρων τάδε δώμαθ' ἱκάνεις,
> Ἄρτεμις ἢ Λητὼ, ἠὲ χρυσέη Ἀφροδίτη,
> ἢ Θέμις ἠϋγενὴς, ἠὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
> ἤ πού τις Χαρίτων δεῦρ' ἤλυθες, αἵτε θεοῖσιν
> πᾶσιν ἑταιρίζουσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται,
> ἤ τις Νυμφάων, αἵτ' ἄλσεα καλὰ νέμονται,
> καὶ πηγὰς ποταμῶν καὶ πίσεα ποιήεντα (1).

Jam vero, fac typum non certis terminis esse definitum, non unius deae aut mortalis proprium ac peculiarem, necesse est mulierum quidquid est complectatur. Quo longius autem simulacrorum significationem dilataveris, tanto plus conclusione comprehendi oportebit, quae ad artis vices cognoscendas spectat. Ergo historiae multo major utilitas redundabit ex incerta vulgataque effigie, quam ex definita atque, ut ita dicam, privata.

Sunt in archaïca Graecorum sculptura simulacra satis multa, habitu gestuque similia, artificii continuata mutatione distincta simul et connexa, fama celeberrima : quae diutissime dicta sunt *Apollines* (2) ; nunc illa in adolescentium genus aut virorum aetate ac viribus florentium referre magis placet. Convenit igitur

(1) *Hym. homer. in Venerem*, v. 92 sqq. Nota dignum est, quod haec potissimum numina vestitu gestuque cognata esse vidimus (p. 46 sqq.).

(2) Sunt Orchomenius, Theraeus, Teneaticus (Overbeck, *Gesch. d. gr. Plastik*, I, p. 87 sqq., tabb. 8, 9, 10.) — Quibus licet addere Ambracios duo, qui in Museo Parisiensi asservantur ; Atticum (?) unum, qui Londini est ; Delium unum, Megaricum unum (Sybel, *Katal.*, 2). — De universa serie aut de

inter doctos ex illis intelligi posse quomodo virilis pulchritudinis species sit informata.

Haud aliter deliacae statuae, si nomen suppressum esset, summam vim ac dignitatem in altero sexu obtinerent; scilicet muliebris venustatis quasi singula pericula ostenderent, paulatim ad perfectionem adducta. Vides jam quam late proferretur typi auctoritas, cui dimidia humani generis pars cederet, dimidium sculpturae — quoad in humana specie effingenda exercetur — regnum subjectum esset.

Nunc, quoniam angustius significationem circumscripsimus, simulacra uni deae tribuimus, investigemus quae fuerit typi illius informandi via ac ratio, qui processus. Hoc erit tamen universae disciplinae quasi specimen, quo sit antiqua sculpturae graecae historia non nihil illuminanda.

Atque in hoc genere quinque mihi videntur esse, quae diligentiam examinandi praesertim postulent:

Primum simulacra ipsa qua disciplinae ratione atque ingenii facultate sint mutata elaborataque; deinde e quibus principiis originem ducant; post quibus temporibus sint confecta quibusve locis; denique quatenus sincera liberaque sint graecae artis opera, aut alienae arti obnoxia.

II

Illud quidem primum jam attigi alio capite, quo deliaca simulacra descripsi: fuit enim tunc danda causa cur ordinem cuique suum tribuissem; fuere habitus artificiique discrimina summo studio notanda; fuere necessitudinum vincula nectenda. Ergo nihil horum deest quae continuationem mutationemque typi, id est artis ipsius, demonstrant; sed quae singillatim animadverti singulis, ut ita dicam, simulacris adhaerent, non

singulis simulacris disseruerunt multi, recentissime vero Collignon (*Bull. de Corr. hellén.*, 1881, p. 319 sqq., tabb. IV. L'Apollon d'Orchomène); Furtwaengler (*Arch. Zeit.*, 1882, p. 51 sqq. Archaische Jünglingsstatue in Br. Mus.); — de significatione autem, Loeschke, *Mitth. d. D. A. Inst. in Athen*, IV, p. 304; Milchhoeffer, *Arch. Zeit.*, 1881, p. 54; Furtwaengler, *l. c.*, p. 57-58.

ad genus pervagantur; praeterea, passim in disputatione dispersa parum movent. Horum adeo summam, quam brevissime potero, colligam et formulae quasi universitate complectar.

Initio, cum primum caedendi sculpendique marmoris ferramenta sunt inventa, disciplina excogitata est, artifices a rudi lapidis mole quam minime discedebant, sed ad hujus figuram simulacri ipsius descriptionem accommodabant, seu quadrata, seu teres fuit. Sunt igitur simulacra aut ad quadrum complanata, aut in orbem circumcisa, marmoris ambitu definita atque conclusa, in quibus nihil exstat atque eminet; sunt solida, ne, si qua forte pars a trunco diducta esset, imperita manu frangeretur; ideo adhaerent lateribus brachia utrimque pendentia, crura juncta sub tunicae rigenti latent involucro, colli compages effusae comae latitudine firmiorem capiti basim, sed justa crassiorem praebet; sunt denique illa rigida immobiliaque, cum membra destringere ac flectere, musculorum toros, carnis mollitiem exprimere non angustior lapidis circuitus, non cavandi altius marmoris aut subtilius elaborandi inscitia sinat. Quid tandem? corporis tota descriptio a vera longe recedit; membra inepte satis coagmentantur; non mens tantum ac spiritus, sed vita ac motus ipse absunt (1).

Cum ea ratio abjecta est, nova et naturae proprior coepit placere, fuit etiamtum materiae obtemperandum: sic igitur mutatus est habitus, sic motus factum periculum, ut eodem lapidis quadrato teretive ambitu totum corpus comprehensum atque inclusum esset. Nam membra collecta conglutinataque torpent; brachium autem, cum erectum esset, pectori tamen infixum mansit (2).

Tandem (3), ut crevit cum facultate audacia, aliquis brachium a pectore avulsit, cui insidebat, ac solutum liberumque protendit; ita tamen, ut superior pars ejus cubitusque latera contingeret, ne nimia longitudo ejus in vacuo librata foret, aut fragili nimium basi niteretur. Mox, favente feminea veste, quae amplissima est, tuto licuit brachium a trunco distrahere, erigere, demittere, mollius in orbem circumducere, cum manicae

(1) Vide simulacra I-IV.
(2) Vide simulacra V-VII.
(3) Vide simulacra VIII-XVII.

diffluentes et pallii pendentia cornua id, quanquam sejunctum, cum corpore tamen alligarent.

Alterum autem brachium, etiam cum pristinum retinet statum, expedita ac molli quadam libertate provectam artem demonstrat; namque non ad perpendiculum cadit, sed eleganter flectitur. Interdum quoque, quanquam id in simulacris deliacis non occurrit, brachia ambo porrecta sunt; sed is gestus, nimia paritate, fastidii quiddam attulit.

Hoc aliud est additae simulacris mobilitatis documentum, quod manus non occlusae jam, sed diductae sunt et, seu gestando insigni, seu prensandae vesti habiles.

Interea crura etiam coepta sunt impelli, pedes sunt sejuncti : qui tamen non incedunt, sed jamjam sunt ingressuri atque, ut felici quadam brevitate scripsit Philostratus (1), « διαβεβηκότα ἤδη καὶ ἐν ἐπαγγελίᾳ τοῦ βαδίζειν. » Nam minime inter se distant et firmiter ambo insistunt solo, quanquam sinister porro, dexter retro actus est ; corpus quoque non pronum fertur, sed rectum stat, nec moveri videtur, sed in loco quietum exspectare donec incedere jubeatur.

Sunt igitur motus in sculptura adhibendi quasi tria tempora, quibus brachia cruraque sunt vinculis exempta. Crura autem, quoad vestitae statuae considerantur, diutius juncta torpuisse crediderim, quoniam defluens vestis peropportunam simulacris basim praebebat, figura cum rudi lapide fere congruentem, ad sculpendi laborem facillimam; quae pedes etiam imos interdum occultabat (2).

Sed tamen haec multo ante reperta sunt, quam recentior series simulacrorum confecta est, quae gestus inveniendi efficiendique eventum, non processum ostendunt (3).

Ille vero artis processus, quo rudis inchoataque effigies paene ad perfectionem perducta est, tam rationi consentaneus est, tam materiae ac laboris legibus accommodatus, ut quasi necessarius dici possit. Nam vi quadam logica explicatur, cum semper a facilibus rebus ad magis difficiles paulatim transeat, semper inde proficiscatur, quo prius pervenerit.

(1) Philostr. sen., *Imagg.*, I, 16 (Overbeck, *Schriftq.*, 134).

(2) Vide simulacr. I. Cf. Pausan., I, 18, 5, IX, 40, 4 ; Themist., *Orat.* XV, p. 316.

(3) Cf. supra, p. 25, 32 sqq.

Ne quis forte miretur tripartitam hanc rationem, aut re minus manifestam, quam dialectica excogitatam arbitretur, et gymnicae magis exercitationi quam sculpendi disciplinae accommodatam, aut tardiorem putet quam pro Graecorum acumine et industria, libet commemorare quae de augenda arte motuque praesertim adhibendo et graeci scriptores tradiderint et superstites statuae demonstrent; tum quam aequali, concordi, conspiranti ingenii manusque conatu simulacrorum species ac significatio una cum gestu sit immutata; qua denique lege in omnibus artibus Graecorum ingenium profecerit.

Hanc laudem antiqui Daedalo plerumque tribuunt, quod simulacrorum oculos primus reseraverit, brachia extenderit, crura diduxerit : quocirca ejus statuae videre et incedere sunt habitae (1). At contra prisci artifices fingere solebant signa clausis luminibus, brachiis corpori agglutinatis, vinctis pedibus deformia (2). Itaque plus uni Daedalo concessum est, quam longo conatu ac per multos gradus effectum fuisse diximus ; hic primo statim impetu ad extremum finem spatii prosiluit, quod nos tarde ac pedetentim perlustratum esse ex deliacorum simulacrorum exemplis judicavimus. Age vero, Daedalum (3) ad mythologiam magis quam ad historiam pertinere satis constat; hujus nomen non hominis, sed gentis est (4); vita non annis, sed saeculis definita est (5). Ergo quae multi cogitatione atque opera comparaverant, hic solus perfecisse perhibetur. Quae est fabularum plerumque consuetudo ; plebs enim singulas rei, quaecumque est, vices non curat, eventu tantum movetur;

(1) De Daedalo testimonia collegit Overbeck, *Schriftq.*, 74-142, qui tum ad hominem, tum ad opera, tum denique ad artificii genus pertinentia produxit.

(2) De his vide Overbeck, *Schriftq.*, 67-73.

(3) Daedalicam quaestionem nuper in contrariam partem perspexerunt Petersen (*Kritisch. Bemerk. zur ältest. Gesch. der griech. Kunst*, Ploen, 1871), qui Daedalum cum Hercule, Vulcano Prometheoque in fabulas reponit, et Waldstein (*Revue arch.*, 1881, II, p. 321-30, Dédale et l'Artémis de Délos), qui Daedalum reipsa vixisse credit, Theodori et Rhoeci aequalem, operum multorum auctorem quae Pausanias describit et Nicandraeo simulacro similium admodum. Klein (*Die Daedaliden*) in manus meas non venit.

(4) Immo cum Attica, Creta, Siciliaque rem habet. Overbeck, *Schriftq.*, 74-90, 93-96, 97, 116, etc.

(5) Minoïs idem comes, Oedipodis aequalis, nec non et Theodori Samii suppar, Endoei magister (cf. p. 81).

praeterea certam notionem nec percipit, nec memoria tenet, nisi addito nomine ; quod, si deest, fingere etiam solet. Praeterea daedalica opera, quae dicuntur, plura sunt et pluribus in locis dispersa, quam ut ad unum artificem referri possint ; nec tam apte inter se concinunt (1), ut temporum, locorum auctorumque diversitas aliquando non praesentiatur.

Jam, si cum deliaca serie contuleris archaïcorum signorum quidquid est, sive homines iis expressi sunt, sive mulieres, et quae e petra aut marmore constant, et quae aënea sunt aut figlina, videbis ea non repentino ictu et quasi ad nutum excitata jactari ; sed, torpore sensim excusso, ad movendum se accingere ; immo eadem gestus quasi tempora saepissime animadvertas (2). Attamen aut tractabilis materies, aut signorum minima amplitudo, aut corporis ex diversis partibus coagmentandi facultas membrorum liberiorem jactationem interdum admittebat.

Ergo sententiae meae librorum simulacrorumque fides auxiliatur ; verum hoc maximum esse arbitror, quod in prima commentationis hujus parte jam indagavi et quam apertissime ostendi : non in una tantum parte disciplinae, sed in omnibus simul ac pariter elaboratum perfectumque esse. Namque artifex, ut motu exprimendo, ita corpore effingendo et veste imitanda componendaque, magis ac magis ad veritatem pulchritudinemque accedit.

Memoria quoque tenendum est magnam vim in mutanda simulacrorum specie vestiendi comendique consuetudinem habuisse : nam vestium naturam ac compositionem, capillorum comptum, mundi elegantias non excogitabant artifices, sed ex temporis sui more atque usu adsumebant (3). Atqui, si in cons-

(1) Idem et architecti et fabri et sculptoris munere fungitur ; caedendi sculpendique ferramenta invenit ; aedificia, supellectilem, anaglypta, simulacra efficit ; tum vero sunt simulacrorum diversissima genera ; quorum alia torpent, vagina conclusa immotaque, alia, expedita motuque praedita, vivunt atque ambulant. (Overbeck, *Schriftq.*, 99,6; 119 sqq.).

(2) Tum praesertim Veneres Apollinesque ex aere, qui sunt in Museo Parisiensi, hunc artis processum ostendunt (De Longpérier, *Notice des Bronzes antiq.*, n. 110 sqq., 55 sqq.).

(3) Itaque in hac re vasorum imagines cum simulacris omnino concinunt. — Cf. ea quae de vestitu comptuque, tum ex auctoribus, tum ex monumentis collegit Helbig, *Das homerische Epos* (Die Tracht), pp. 115-161.

tituenda simulacrorum serie consuetudinis vices secutus sis, idem potissimum fuerit ordo atque fuit, cum gestus tantum haberes rationem.

Siquidem in informando typo ingenium non minus quam manus elaboravit, sed excogitavit quidquid haec effecit, necesse est simulacra quae opificio praestant, eadem et inveniendi acumine et intelligendi subtilitate praecellere. Res autem, mea quidem sententia, manifesta est.

Nam torpens rigidumque Nicandrae anathema jejunam sane humilemque divinitatis notionem arguit. Ut sit in hac quieta immotaque imagine pacati aliquid ac compositi, quod a majestate divina non alienum omnino sit, attamen inertia quaedam atque impotentia, ac stultitia etiam offendit. Jam proximum intuere simulacrum, quam numine dignius et significatione clarius apparebit! nam manus pectori imposita ubera ostendit, quae vitam rebus suppeditont. Perge etiam; in aliis protenta est manus, qua dea insignia gerit, donaria accipit, accedentes adorantesque homines invitat ac tuetur. Quomodo multiplicem ejus naturam collecta adductaque vestis, corporis paulo amplior crassitudo exhiberet jam supra dixi; quarum una virginis elegantiam ostendit, altera numinis potestatem, quod generandis rebus animantibusque praesit. Denique vultus ipse, postquam inanem insulsamque mentem prodidit, sentientem vere atque intelligentem expressit; nam ridet utrumque simulacrum; sed risus in hoc vacuae admirationi propior, in illo suavitatis et indulgentiae majestati admistae est indicium (1).

Illa vero mutandi continuatio, illa series ac junctura quam Graecis placuerit plane cognitum est; qui, felici quadam virtute, res, ut videtur, dissociabiles miscuerunt, novarum rerum studium et patrii moris reverentiam. Itaque, vel cum maxime audent, ab iis quae tradita acceperunt nequaquam desciscunt, illis similes, non qui domum funditus evertunt, aliam ut a fundamentis exstruant, sed qui servatam summo studio atque industria compingunt, aptant, instruunt, exornant; non in universo genere statim immutando, sed in singulis paulatim perficiendis laborant; non novissima quaque re delectantur, sed eo quod optimum est. Illi enim non sculpendi solum, sed intelli-

(1) Risus, et apud poetas, numinibus est saepissime concessus; risu divino et res omnes illuminantur, et mentes hominum gaudent,

gendi magistri, artis certam legem agnoverant, quae nisi perpetuitate laboris non exsistit; pulchritudinis veram naturam, quae subtillima est et, si vel tenuissima praetenditur umbra, non resplendet.

Miraris quod tamdiu in protendendo brachio diducendisque cruribus laboratum est; immo doricae columnae vices memineris. Quam strenuam pertinacemque operam impenderunt Graeci, non ut genus invenirent, sed inventi ut eurhythymiam temperarent, striarum justum numerum, modulorum justam rationem conderent; quam obstinata subtilitate trunci entasim, echini circuitum, abaci crassitudinem concinnaverunt (1)!

Si hoc laudi fuit Polycleto, summi ingenii viro, Phidiae aequali atque aemulo, quod excogitavit ut uno crure insisterent signa, vides quamdiu in antiquo ritu perseveratum fuerit (2).

Verum ex iis simulacris exemplum sumere licet, quae deliacorum recentioribus similia sunt, diversissimis locis provenerunt : typus late pervagatus est, diu viguit, tum denique floruit cum ars pubescebat et matura fere erat; attamen vix in minimis immutatus est.

Haec reputanti mihi aequum videtur esse magnam vim atque auctoritatem in antiquissima arte tradito mori concedere, in mutationum tarditate non offendere. Mos tunc eo facilius efficaciusque artem regebat, quod opificii disciplinae quasi hereditario jure in iisdem gentibus servabantur et a patribus ad filios transibant (3). Fuit etiam retinendi moris alia causa, religio, cum antiquissima quaeque simulacra diis plerumque dicarentur, deos potissimum exprimerent (4). Atqui illa, quae Deli provenerunt, deae esse effigies constitui.

(1) Beulé, *L'Architecture au siècle de Pisistrate* (Ch. II, Histoire de l'ordre dorique par les proportions), p. 33 sqq.; cf. Collignon, *Manuel d'arch. gr.*, p. 46 sqq.

(2) Plin., *N. H.*, xxxiv, 56 : « Proprium ejus est uno crure ut insisterent signa excogitasse. »

(3) Exemplo sint Melas filiusque ejus ac nepos pronepotesque, aut argivi artifices « τέχναν εἰδότες ἐκ προτέρων » (Plin., *N. H.*, xxxvi, 11-13 ; Pausan., vi, 10, 14). Cf. Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik*, i, p. 60.

(4) O. Mueller, *Handb.*, p. 42 : « So scheint ein rundes, für sich stehendes Bild, welches kein Tempelidol war, in Griechenland lange Zeit etwas unerhörtes gewesen zu sein. » Cf. p. 44 sqq.

III

Hoc inter antiquos scriptores constat, numinis non imagines, sed symbola homines primo adoravisse. Lapides enim colere solebant, qui de caelo cecidisse et quasi a diis ipsis demissi esse credebantur, deorum non faciem exprimebant, sed vim ac naturam reconditam significabant (1). Quocirca βαίτυλοι βαιτύλιαve dicti fuerunt, « dei scilicet domus », nomine a Syris assumpto, apud quos litholatria vigebat; aliquando etiam λίθοι ἔμψυχοι sunt appellati, quod vivam vim et vitae omnis quasi principia includerent; aut ἀργοὶ λίθοι (2), quod rudem naturalemque figuram retinerent, non artificis manum nec scalpri laborem pertulissent.

Quorum reverentia tanta fuit ut, vel postquam, arte perfecta, pulcherrimae deorum effigies abundare ubique coeperunt, lapides in honore permanserint; tam diu obtinuit ut christiana tempora attigerit ac superaverit; tam late pervagata est, ut tota Asia totaque Graecia vestigia ejus deprehendantur.

In his lapidibus formarum multa discrimina invenias, sed quae ad perpauca genera redigantur. Sunt enim ii aut quadrati aut rotundi; saepissime occurrunt parallelepipeda cylindrique, et, qui sunt iis proximi, pyramides conique superne trunci (3). Quos non inepte comparaveris cum illis quae memorantur columnis pilisque, deorum loco habitis.

Sic omnes fere dii ab origine significati fuerunt, Apollo vero (4) imprimis ac Mercurius, cujus pristinam figuram Hermae

(1) O. Mueller, *Handbuch*, p. 44-46; Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik*, p. 26 (Anikonische Periode). — Cf. Daremberg et Saglio, *Dictionn. des Antiquités*, s. vv. Argoi Lithoi (Saglio), Baetylia (Lenormant). De baetylis Lenormant in *Rev. de l'Hist. des religions*, III, rursus scripsit. Cf. Schreiber (Parthenosstudien), *Arch. Zeit.*, 1883, p. 288 sqq.

(2) Sanchoniat. (Ed. Orelli), p. 30.

(3) De lapidum figura Lenormant in *Dictionn. des Ant.* s. v. Baetylia, p. 642-3. — Cf. imagines a Gerhardo collectas in *Akad. Abh.*, tabb. LIX-LX.

(4) Apollo Agyieus in Ambraciae, Orici, Apolloniae quae in Epiro est, Megari, Byzantii, Apterae nummis : quorum index est in Daremberg et Saglio, *Dictionn.*, p. 413, n. 13, tab. 500. Apollo Carinus in megarico gymnasio (Pausan., I, 44, 2).

usque revocaverunt (1), Diana Venusque, et ii qui Venerem comitantur genii (2).

Lapides autem aut naturales fuerunt, aut ficti; erant multi reipsa aërolithi; multi etiam ex hominum industria, magis quam deorum, pendebant : nam instrumenta antiquissima (3), quae saxea aetate in usu fuerant, secures, hastarum acumina, mallei, cum horum figura insolens moveret, utilitas non appareret, pro divinis et ipsa habita sunt; consulto etiam idola ad ἀργῶν λίθων speciem interdum comparata sunt.

Utut fuit, cum numen in lapide inesse videretur, aequum fuit lapidem summo cultu exornari; itaque aut vittis infulisque cingi, aut pannis involvi solebat (4).

Mox, gliscente opinione quae deos ad hominum similitudinem finxit, prisca ἀφιδρύματα ad simulacrorum speciem verti coepta sunt (5). Est pannus circum, in pallii prope modum, involutus, mitra superne imposita, lapidum ipsa figura sic immutata, ut appendix ac quasi caput adjiceretur; sed tamen membrorum vestigia, vultus lineamenta omnino aberant : columnas esse dixeris, aut pyramidas, aut denique conos vestitos pileatosque. Mox tantum naturae datum est ut truncus inter lapidem appendicemque insereretur, caput, manus, pedes, adventicia omnia, accederent.

Interdum etiam exsculpta sunt ridicula simulacra, quae orbem capitis inanem, aut inepte delineatum, truncum sine brachiis, et loco pedum latam solidamque basim exhibent, his videlicet imaginibus similia, quas Tzetzes describit ἀχείρας, ἀπόδας, ἀομμάτους (6).

(1) O. Mueller, *Handb.*, p. 45, n. 66 ; p. 46, n. 67.

(2) Diana, quae Πατρῴα dicta est, Sicyoni (Pausan., II, 9, 6); Diana, cum Apolline in Cnosi Illyricique nummis — Diana Pergaea (Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. LIX, 43). Cf. Aram vaticanam (Daremberg et Saglio, *Dictionn.*, p. 413, tab. 499). — Venus, (Gerhard, *Akad. Abh.*, tabb. XLIII, 17, LIX, 11 ; Perrot, *Hist. de l'Art*, III, p. 60, 120, 199 ; Daremberg et Saglio, *Dictionn.*, tabb. 502, 736). — Eros Thespiis lapis fuit (Pausan., IX, 27, 1) ; Terpon, Antipoli (Heuzey, *Soc. des antiq. de France*, 1874, p. 99 sqq.; *I. G. A.*, 551).

(3) Lenormant, Baetylia (*Dictionn. des Antiq.*, p. 666, tab. 743).

(4) De deorum vestiariis Mueller, *Handb.*, p. 48-9 ; Schreiber, *Arch. Zeit.* 1882, p. 293-4; *C. I. A.*, II, 754 sqq.; C. Curtius, *Urk. und Stud. zur Gesch. von Samos*, 1877. Vestiti lapides in nummis haud raro cernuntur.

(5) Testis est mutata verbi ἄγαλμα significatio, quod primum genus omne donariorum, deinde simulacra declaravit.

(6) Tzetzes, *Chil.*, I, 537-8.

Hujus generis aliorumque satis multa exempla Schliemann in *Troja* (1) sua suppeditat.

Sed mutationum seriem optime nummi demonstrant, inter quos praestant Pergaeorum Iasensiumque. Namque in iis cernitur :

1° Lapis nudus, vittarum quattuor cinctus ordinibus, superno appendice et quasi mitra auctus (2).

2° Lapis cum appendice, vittis, infulis, pallio (3).

3° Lapis cum vittis, infulis, pallio ; cui caput insidet, vultu insigne cultuque decorum, velatum et diademate redimitum (4).

4° Lapis, stelae similis quae superne rotunda est, basi vel toro innixus, trunco, brachiis, capite instructus. Brachia longa pendent, femorique adhaerent ; vultus aut non expressus fuit, aut tritus est (5).

Qui omnes Dianam aut significant, aut exprimunt : nam pergaeis nummis deae nomen inscriptum est « Περγαί[ας 'Αρτ]έμιδος » ; Pergae Diana summa religione culta fuit ; Iasi autem, Dianae templum commemorat Strabo signumque, quod, quamvis sub dio positum, a pluviis ac tempestatibus injuriam nullam acciperet.

Jam vero Iasensis Dianae Deliaeque miram esse similitudinem arbitror, quae inter sese descriptione tota congruunt, singulis vix differunt. Namque, et in simulacro II, et in illo quod nummus refert, pariter invenio imum torum, inferiorem corporis partem stelae similem, truncum inversae parem pyramidi, tum vestis inflexibilem vaginam, sub qua crura pedesque latent, corporis immobilem statum torpentemque habitum, denique figuram geometriae propius quam vitae accedentem.

Ergo ad rudem usque lapidem genus deliacorum simulacrorum revolvere licet. Qui solus primum pro nunimis imagine adhibitus fuit ; deinde, capiti suppositus, quasi corpus fuit ;

(1) Schliemann, *Ilios*, p. 265, tab. 73 ; p. 375, tabb. 197, 199, 200. Sine vultu et sine membris, cum oculis, naso, et capillis interdum, p. 376-7, tabb. 202-208 ; cum brachiorum initiis, p. 375-6, tabb. 193-6, 201 ; cum brachiis et cruribus, tab. 192.

(2) In Pergaeo nummo, Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. LIX, 2 ; Daremberg et Saglio, *Dictionn.*, s. v. Baetylia, p. 645, tab. 741.

(3) In alio Pergae nummo, Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. LIX, 3.

(4) In alio Pergae nummo, Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. LIX, 4.

(5) In Iasensi nummo, Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. LIX, 7.

tandem, trunco brachiisque adjectis, ad imam corporis partem recidit : ibi vero veste occultatus diutius mansit.

Hujus etiam simulacra I, II vestigium retinent; quorum inferior pars a pyramide oriri visa est, cujus anguli essent hebetati acumenque truncatum.

Fuit alia quaedam ἀργῶν λίθων figura, ad quam simulacrum IV referendum esse censuerim, quoad de infima parte ejus agitur. Occurrunt enim lapides teretes, ovati, et quasi fusis similes. Cujus generis ille est antipolitanus, qui se Terponem (1) esse profitetur; eamdem interdum formam induit Delphicus umbilicus (2); licet quoque adnumerare columnas, infra supraque attenuatas, quibus Apollo et Diana in gemma sunt expressi (3); clavam altari impositam, Dianae, ut videtur, dedicatam, cui serta, vittae cornuaque cervi sunt affixa; sacrum lapidem Melitae in ara inventum (4).

Quae figura in Ephesia Diana, vel romana aetate, manifesta maxime est et in Delia Diana, antiquissimis temporibus, observata fuit.

Quae si vera sunt, prisca deorum simulacra e vera naturae imitatione vix magis quam e rudium lapidum, ἀργῶν scilicet λίθων, pependisse judicandum est (5).

Magna quoque fuit apud homines arborum religio, quae deorum sacrae esse credebantur, diis jucundam sedem praebere. Idcirco, cum arborem quisque suam elegisset, numen aliquod ligno inesse videretur, lignum numini exprimendo prorsus conveniebat (6).

Huc accedebat quod materiem artifici maxime docilem suppeditat; nam facillime aut serra scinditur, aut scalpro caeditur.

Duplex vero fuit ligni usurpandi ratio : aut truncum arborum ac ramos adhibere placuit intactos (7), ut erant; aut complanatos desecare. Fuit igitur in lignorum, ut in lapidum genere,

(1) *I. G. A.*, 551.
(2) Gerhard, *Akad. Abh.*, tab. LX, 1.
(3) Daremberg et Saglio, *Dictionn.*, p. 413, tab. 501.
(4) *Ibid*, tab. 499; Perrot, *Hist. de l'Art.*, III, p. 79, tab. 28. Infra legitur dedicatio Herculi facta.
(5) Quocirca Mueller scripsit « Wie es nicht die Cultusbilder, waren von denen eine freiere Ausbildung der Kunst ausging..... » (*Handb.*, p. 63.)
(6) Quaestionem exhausit Boetticher, *Der Baumcultus der Hellenen*.
(7) Icaria Artemis fuit *lignum indolatum*. (Arnob., *Adv. gentes*, VI, 11.)

figura duplex, teres una, quadrata altera (1) : fiebant aut columnae, aut trabes et tenues etiam tabulae, quas Graeci dicunt κίονας, δόκανα, σανίδας ; aut, cum seorsus attenuari soleant arbores, coni trunci pyramidesque truncae.

Inde originem duxisse sculpendi artem auctores scripsere, et deos primum κίοσι, δοκάνοις, σανίσιν expressos fuisse (2). Reipsa columnae, trabes tabulaeque in vasis interdum pictis occurrunt in honorem deorum erectae, ab hominibus, tanquam deorum imagines, cultae. Quae sunt pannis indutae, armis galeisve instructae (3), sertis coronisque ornatae, nulla corporis, aut vultus, aut membrorum specie ; aliis caput adest aut adventicium, aut in ligno ipso exsculptum, brachia brachiorumve initia. Talia fuisse βρέτη conjectari licet.

Deinde opera ea condita sunt, quae ξοάνα vel δαίδαλα perhibentur, e ligno polito confecta et affabre elaborato. Quae imagines rudes praebebant, vitae motusque expertes ; pristinam usque arboris formam ita retinuerunt, ut antiquissima simulacra in classes duas distribui possent : alteram quae ad columnam redit, alteram quae ad trabem tabulamque spectat.

Hujus absolutissimum exemplar simulacrum II suppeditat ; illi et simulacrum V et Samia potissimum Juno sunt adjudicanda (4).

Hac simulacri informandi vices, quibus e rudi aut lapide aut ligno species paulatim emicuit humana, in sigillis etiam apparent quae ex argilla aut aere sunt ficta. Nam sacra symbola, sacras deinde imagines imitabantur ; religioni parebant ; artis, vel illius, quodcumque pro arte fuit, opificii consuetudini obtemperabant ; nunc autem ea maxime abundant.

Eorum igitur alia columnis, alia tabulis sunt similia. Age vero, in utramque partem sponte tendebant artifices, qui aut ar-

(1) In hoc opinio mea cum Brunnii sententia prorsus congruit; qua re fiducia mea non leviter adaucta est.

(2) Junonem Argis κίων, Sami σανίς ; Dioscuros Spartae δόκανα exprimebant (Clem., *Stromat.*, I, p. 418 ; Euseb., *Praep. Ev.*, III, 8 ; Plutarch., *De fratern. amore*, I).— Alia testimonia cum O. Mueller in *Handbuch*, p. 36, tum Overbeck in *Kunstmythologie* collegit.

(3) O. Jahn, *De antiq. Minerv. simul.*, tab. III, 2. In eadem tab. III, 4, tropaea nummis incisa. Alia exempla invenias in tabulis adjectis ad librum « *Baumcultus*. »

(4) *Bull. de Corr. hellén.*, 1880, p. 483 sqq., tabb. XIII, XIV. Aliud, admodum teres, mansit in schedis meis ineditum.

gillam aut aes tractabant, laborandi commoditate adducti. Nam haec facillima figulis sese obtulit ratio, ut terram manibus aut volvendo in rotundum circumducerent, aut premendo dilatarent attenuarentque : sic fiebant ea quae solemus appellare aut « *maquettes rondes* » aut « *maquettes plates* » (1). Aënea vero sigilla aut e filis ac regulis ductilibus contorta esse, aut in bracteis plus minusve crassis concisa saepissime videntur (2).

Jam, si singula spectaveris, invenies ad humanae figurae veram imitationem paulatim ac tarde ventum esse. Nam initio caput solum effingebant ; corporis structuram non attendebant, quod quadratae aut tereti basi simillimum fuit; membrorum non rationem habebant, brachiis pedibusque omissis. Caput ipsum a natura longissime abhorrebat, seu vultus omnino abfuit, seu nasus solus eminuit, isque longissimus ac rostro non impar ; seu, naso oculisque expressis, oris nullum vestigium fuit, aures immanes affixae sunt. Incondita igitur ac plane barbara specie offendimur. Deinde vultus delineatio verior ac concinnitas justior inventa est, capillorum effusi in humeros, pectus tergumque cincinni placuerunt ; sed corpus etiamtum neglectum fuit, in vestis mundique elegantiis opera impensa. Brachiorum initia, aut brevissima ac sub veste latentia, aut ad pectus conversa, aut sursum, fere quasi cornua, erecta, e vagina prodiere. Tunc etiam pectoris ambitus ac mammarum circuitus intumuit, quo sexus ac vis alendi significarentur. Diutissime corporis infima pars, crura pedesque sub veste latuerunt, ac quadrata vel tereti vagina conclusa permanserunt.

Haec quidem ad sigilla spectant, quae vestibus sunt induta, quaeque deliacis simulacris sunt cognata ; nam fuit alia nudarum imaginum series, in quibus membra necessario sunt ex-

(1) Quae fere ubique provenerunt : Cypri, in interiore parte insulae, Heuzey, *Catal. des fig. antiq. de terre cuite du Musée du Louvre*, num. 1-4, 5-15, tabb. IV, 5, 6, IX, 2 ; num. 16-20, 21-27, tab. IX, 3 ; Citii, *Ibid.*, 92, tab. IX, 1. — Camiri, *Ibid.*, num. 24-25, tab. XIII, 2, num. 26-27, tab. XIII, 1.

(2) Illa Heuzey sic describit : « On songe à ces idoles du Musée Kircher, qui conservent la forme étirée d'une tringle de métal. » Horum specimina sunt in Apollinum Venerumque serie, quae in Museo nostro asservatur (salle des Bronzes). Vir amicissimus Julius Martha sigillum vidit in Dresdensi collectione, de quo haec mihi mandavit. « Bronze, figure plate. L'ouvrier avait découpé la feuille de bronze pour reproduire le geste traditionnel de la main gauche relevant la robe. Il a dégagé le bras en laissant la robe relevée. »

pressa, sexus indicia non sine obscena quadam libertate ostentata.

Hoc tandem concludendum esse reor : Simulacra deliaca, quae sunt antiquissima, cum idolis, quae e rudi saxo lignove primum constitere, cognationem habere ; a columnis tabulisque originem ducere, quae in fanis deos diu designaverunt ; rudium etiam exemplarium, unde sunt oriunda, similitudinem quamdam retinere, sive orbis ambitu, seu quadri angulis inferior pars eorum comprehensa fuit.

Quas similitudines non ad vanam speciem, nec conjectura et cogitatione conflctas esse ostenderunt nummi sigillaque, quae perpetuam mutationum continuationem exhibent.

Jam hoc quod scripsi, sacrorum lapidum speciem in simulacris obtinuisse, quamvis in infimam partem essent redacti, notissimis exemplis nititur et ἀργῶν λίθων recentius cultorum, et hermarum qui caput stelae impositum praebent. Usque adeo, vel postquam anthropomorphica disciplina non in intelligendis modo, sed et effingendis numinibus viguit, prisca religio etiamtum mentibus imperavit (1)!

Naturae consentaneum est capiti primum operam artifices dedisse ; ea est enim humanitatis praecipua nota, ea mentis sedes. Quamobrem hoc ante omnia lapidi additum esse vidimus. Cum hoc solum appareret, haud mirum est si maturior in hoc effingendo industria eminet quam in cetero corpore, quod primum abfuit, deinde pannis involutum latuit. Haud aliter ornamenta, quae extrinsecus adjecta sunt, egregia calliditate sunt expressa. Quod in vestibus parum successit antiquissimae arti, hoc sane effecit et ratio, quae tum viguit, ut earum ambitus delinearetur tantum, flexus negligerentur, et natura textilis, quae spissior erat ac rigidior ; sed praeterea vestis injecta tereti quadratove lapidi, aut columnae trabive, paucissimos sinus efficiebat. Ergo vel opificii genus favet iis quae disputata sunt.

Verum ad aliam quaestionem adducimur. Nam, si a rudi lapidis barbarie ad politiorem usque recentissimorum Deli simulacrorum elegantiam, typi informandi tenor nusquam fere intercipitur, vis autem quaedam logica ac necessitas effigiei

(1) Cum deo gratificari voluerunt Amyclaei, thronum a Bathycle faciendum curaverunt, simulacrum, quanquam rude, summa religione intactum servaverunt. Pausan., III, 19, 1.

perficiendae praeest, ita ut quidquid immutatum est, hujus causa praesens sufficiensque suppetat, quae aut ex adhibitae materiae indole ac figura, aut ex opificii disciplina, aut ex hominum ingenio ac cultura, aut ex consuetudine comendi vestiendique pendeat; si, inquam, haec pro veris accipienda sunt, nihil jam superesse videtur, quod artifices ab exterorum populorum arte atque exemplis mutuati sint. Fatendum igitur fuerit hoc simulacrorum genus sponte natum esse, sponte adolevisse, ex imitatione Aegyptiorum, Assyriorum Phoenicumve non exstitisse. Quae conclusio ad universam sculpturae graecae historiam non nullius fuerit momenti.

Quae cum ita sint, non licet effugere litem toties exagitatam, quatenus exterorum populorum exemplis obnoxia fuerit apud Graecos sculpendi disciplina : quam non ab integro repetam, sed quoad de deliacis simulacris agitur, pro mea parte diligentius examinabo.

Priusquam huc venio, res postulat ut inquiram cui aetati, cuive regioni sint assignanda simulacra. Sunt enim certi temporum fines, quos ultra citraque aliena auctoritas pollere non potuit; alia autem loca hanc magis passa sunt, alia magis effugerunt.

IV

Aetatis praecipua indicia sunt et tituli litteratura, qui in latere Nicandraei anathematis inscriptus est, et artificii genus, quo mulieres illae, tunicam colligentes, sunt insignes : quae quidem indicia, cum in antiquissimo simulacro, tum in iis quae novissimas unt occurrunt, ita ut temporum terminos definiant, intra quos series omnis operum collocari debeat.

De alphabeto jam disserui (1), cujus naturam antiquissimam esse judicavi : nam ϙ admittit maturius obsoletam et Β, quae deinde H fuit (2); caret vero et Ω, pro qua semper O brevis inve-

(1) *Bull. de Corr. hellén.*, 1879, p. 1, sqq. — Cf. Fraenkel, *Arch. Zeit.*, 1879, p. 85 sqq.

(2) Hic pro spiritu aspero aut *e* longa vicissim adsumpta est, et sibilantis fere vim habet.

nitur, et littera duplice ⵊ, cujus locum obtinet spiritus asper cum sigmate insolenter conjunctus ΒΣ; adspiratam denique Φ duplici signo exprimit ΦΒ, ita ut appareat litterae speciem jam inventam fuisse, vim non certissime definitam. Itaque deliacus titulus necessitudinem quamdam obtinet cum iis qui Miloti aut ad Abu-simbel, aut in Melo Theraque insulis sunt inventi, quique LX, L et XL olympiadibus sunt aequales, aut iis antiquiores etiam (1).

Scribendi quoque rationem animadvertas : nam primus quidem versus a sinistra ad dextram pergit, secundus sinistrorsus, βουστροφηδὸν ut dicitur ; in ultimo vero non cursus modo litterarum mutatus, sed figura ipsa est inversa (2). Qui scripturae flexus in vasis interdum occurrunt, neque ab illis ἑλιγμοῖς συμβαλέσθαι χαλεποῖς multum differre videntur, quos Pausanias Cypseli arcae inscriptos vidit (3) ; in lapidibus perraro sunt adhibiti, et vetustissimis quidem (4). In hoc deliaco res eo plus movet, quod scalptura accuratissima est, nec lapicidae spatium defuit, sed contra latissime patuit.

Ad septimum igitur saeculum usque regreditur titulus, et ad ejus quidem prima initia.

Eodem fert conclusio, si speciem ipsius simulacri intueris. Est enim sponte sua rude, non inscitiam ex industria imitatur ; quod demonstrat consentiens secum in omnibus partibus imperitia, et junctura imprimis operum, quae cum Nicandraea statua continuatam seriem efficiunt, et praeterea maeandri genus simplicissimum (5). Hoc modo memoria tenendum est in effingendis numinibus antiquissimam disciplinam quasi religione quadam diutius servatam esse.

Igitur conferenti simulacrum cum aliis sincerae antiquitatis operibus, quorum aetas innotuit, licebit illud suo ordine ac

(1) Kirchhoff, *Studien zur Gesch. des griech. Alphabets*, 1877, tab. 1.

(2) Ne quis de sensu haesitet, gallice dicam : « Les lettres sont retournées, la tête en bas. »

(3) Pausan., v, 17, 3.

(4) *I. G. A.*, 15, Corinthi ; 54, Spartae ; 340, Corcyrae ; 471, Therae (titulus aliis recentior est). — 370, Eretriae (flexus sunt lapidis figurae obnoxii).

(5) Idem fere in vasis invenias, tum in antiquissima Selinusii templi metopa, et in pictura quadam aegyptiaca, quae gentem asiaticam migrantem effingit. (Perrot, *Hist. de l'Art*, I, p. 155-6, tab. 98.)

tempore collocare. Nam id antea confectum esse liquet quam aut Selinusiarum metoparum antiquissima aut aligera Deli statua exstiterunt. Illa vero, ex priore templo eruta, inter XXXVII olympiadem et L facta est; haec annis a. C. 580-570 circiter adjudicatur, siquidem Micciadis et Archermi opus fuit (1). Hanc modo consideres, quae origine, laboris jejunitate, quadrata descriptione, a Nicandaeo anathemate minus aliena est; quamdiu in eam inveniendam elaboratum fuisse putas? Multum sane, quippe quae in omnibus praestet. Cave tamen ne hanc ab Nicandaea Diana nimio intervallo secernas; nam cum simulacro V est cognata. Quid quod corporis inepte contorti subridiculus ille habitus artis vestigium est imbecillae etiamtum et anaglypti disciplinam vixdum egressae, quae prima omnium viguit. Ego vero inter utramque statuam saeculi spatium plus minus intercessisse crediderim. Nam, cum marmor sculpere, simulacra undique libera conspicuaque — illa scilicet quae de Daedalo feruntur περισκέλη — fingere coeperunt homines, novi aliquid in sculptura tentaverunt, non tum primum huic arti sese applicaverunt; sed jamdudum instrumenta invenerant; lignum, aes, argillam, saxum etiam tractabant; in anaglyptis satis effecerant: tutam igitur citamque procedendi viam munierunt.

Rursus, intra centum annos post Micciadem et Archermum informata esse videntur simulacra alterius seriei.

Namque virgines tunicam colligentes deliacarum gestu ves-

(1) Basim, cui sculptorum nomina sunt inscripta, statuamque aligeram eodem loco inveni; eas conjungendas esse judicavi (*Bull. de Corr. hellén.*, 1881, p. 272 sqq. Cf. 1883, p. 254 sqq.); quam opinionem amplexi sunt Treu (*Arch. Zeit.*, 1882, p. 178), et, lapide diligenter perspecto, Furtwaengler (*Arch. Zeit.*, 1882, p. 324), qui jam antea statuam Chiis sculptoribus adjudicaverat, conjectura usus (*Deutsch. lit. Zeit.*, 1880, p. 340). Aliter, invento basis supplemento, decreverunt docti, tum imprimis Brunn, qui basim cum simulacro cohaerere posse negant. Ego, quanquam lapis non est in promptu, tamen, photographica usus imagine, haec argumenta sententiae meae afferam :

1° Basis praelonga est et obliquae imagini idonea, ei praesertim quae cruribus divaricatis latum intervallum occupet.

2° Si, adjectis duodecim circiter litteris, basim ; pedibus, statuam suppleveris, congruentem utriusque mensuram invenies.

3° Quod cavus lapis statuae plinthum non recipit, non est revera objiciendum : potuit enim plinthus non toti latitudini supposita esse, sed parti tantum statuae, ita ut pes sinister vacuus expeditusque esset. Atqui, si plinthum hinc dextro pede, hinc tunica terminaveris, ubi illa solum attingit, plinthi lapis capax fuerit.

tituque similes, xanthico sepulcro quod ab Harpyiis nomen cepit (1), thasiae etiam arae insculptas (2), aeginetici templi acroteriis impositas video. Atqui horum monumentorum aetas ita fere est constituta : primi quidem, intra annos 540-500 ; secundi, ante a. 465 ; tertii, post devictos a. 480 Persas (3). His sunt aequalia fere deliaca simulacra, milesiis statuis certissime recentiora. Aliud etiam cognoscendi temporis argumentum accedit, immutata medio fere V saeculo vestiendi ratio (4) ; nam tunc praelonga, diffluens ac tenuis stola, quae Ionibus placuerat, obsolevit, dorica tunica in usum venit ; sculptura, ut solet, consuetudini obtemperavit.

Sunt igitur primis V saeculi decenniis attribuenda ; minutius in singula inquirere parum successerit, neque, ut opinor, multum profuerit.

Quamobrem ducentis circiter annis series universa est comprehensa ; quae marmoris sculpendi disciplinam a principiis ad perfectae paene artis tempora illustrat.

A proposito non discessurum esse me credo, si monumentorum fidem scriptorum testimoniis comprobavero.

Apud Pausaniam, Diodorum ceterosque primus Daedalus adest, omni fere arti atque opificio praefectus. Qui tam multas aetates pervixisse fertur, ut Homero longe antiquior, Dipoeni et Scyllidis aequalis fuerit habitus, hinc mythicae historiae admisceatur, mythicus et ipse, hinc sextum fere saeculum attingat.

Nec de Dipoeno tantum et Scyllide fertur eos Daedali fuisse discipulos (5), sed de Endoeo Atheniensi (6) et Smilide Aegineta (7) ; qui omnes L circiter Olympiade fuerunt. Eodem fere

(1) Brunn, *Sitz. ber. der k. bayer. Akad.*, 1870, II, p. 205 sqq.; Overbeck, *Gesch. d. gr. Plastik*, p. 172 sqq.; Rayet, *Monuments*, tabb. III-VI, fasc. V.

(2) Michaelis, *Arch. Zeit.*, 1867 ; Kirchoff, *Stud. zur Gesch. des griech. Alph.*, p. 71 ; Overbeck, *Gesch. d. gr. Plastik*, p. 167 sqq.; Rayet, *Monuments*, tabb. IV-V, fasc. I.

(3) Brunn, *Sitz. ber. der k. bayer. Akad.*, 1867, II, p. 1 sqq. Cf. *Description de la Glypt. de Munich*, p. 79 sqq. ; Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik*, p. 138 ; Rayet, *Monuments*, tab. IV, fasc. III.

(4) Thucyd., I, 6, 2.

(5) Pausan., II, 15, 1.

(6) Pausan., I, 26, 4. Cf. alia testimonia in Overbeck, *Schriftq.*, 348 sqq. Simmias Eupalami filius est, qui et Daedali pater habitus est.

(7) Pausan., VII, 4, 4. Aequalis tamen magis quam discipulus est. Est

tempore, Theodorus Samius Apollinem Pythium effinxisse dicitur, iis quae daedalicae sunt statuis simillimum (1). Tunc et Chii Archermus, Naxi Byzes, auctore Plinio, florebant. Marmoris vero sculpendi scientiam cum olympiadibus initium cepisse idem scribit; sed primum omnium sculptorum commemorat Melanem, Bupali proavum, qui septimi saeculi ultima decennia excedere non potuit, cum Bupalus LX viguerit olympiade (2).

Ergo L olympias est sculpturae graecae quasi cardo; ante quam, Daedalus parum abest quin omnia sibi vindicet; post, multis locis, varii artifices innotuerunt. In marmore sculpendo, nihil ante VII saeculum effectum est, cujus memoria permanserit. Atqui simulacra deliaca, quae sunt antiquissima, a daedalicis non abhorrent, his potissimum temporibus sunt adjudicata.

Quod ad recentiora attinet, Bupalus perhibetur tunicatis simulacris excelluisse, Charites stola indutas effecisse (3); Charites autem in arte archaïca sunt Deliae Dianae amictu simillimae. Qua re commotus, Gherardini Bupalo attribuit aventinam statuam, quae nostrarum germana est (4); Murray vero, cum Augusti aequaliumque ejus in archaïca et bupalica potissimum opera studium novisset, Dianam, quae Herculanensis est dicta, ad bupalicum exemplar confictam esse suspicatus est (5). Ego eorum conjecturis assentiri dubitaverim; sed hoc constare opinor LX, circiter olympiade hanc fingendarum mulierum rationem inventam esse quae deliaca exhibent simulacra. Quod quidem sententiae convenit de aetate eorum supra dictae.

etiam cum Daedalo nominis natura conjunctus, quod ad opificium referendum est.

(1) Diod. Sic., I, 98. — Ab omni tamen aut generis aut disciplinae cum Daedalo cognatione liberi sunt asiatici sculptores.

(2) De his testes supra produxi.

(3) Pausan., IX, 35, 6 τά γε ἀρχαιότερα (Χάριτας) ἐχούσας ἐσθῆτα οἵ τε πλάσται καὶ κατὰ ταὐτὰ ἐποίουν οἱ ζωγράφοι· καὶ Σμυρναίοις τοῦτο μὲν ἐν τῷ ἱερῷ τῶν Νεμέσεων... Χάριτες ἀνάκεινται, τέχνη Βουπάλου... Περγαμηνοῖς δὲ ὡσαύτως ἐν τῷ Ἀττάλου θαλάμῳ, Βουπάλου καὶ αὐταί.

(4) Gherardini, *o. c.*

(5) Murray. *History of gr. sculpt.*, I, p. 86.

V

Nunc, quoniam de tempore dictum est, sequitur ut inquiramus quibus in locis statuae deliacae sint confectae.

Statuariae totum genus nisi apud expolitos jam homines et in opulentis tranquillisque civitatibus florere non potest. Ars enim « pacis est comes otiique socia, et jam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam (1). »

Quocirca, ea quae de initiis incrementisque ejus comperimus iis respondent quae ubique tradita sunt de ordinata intus republica, prolato foris imperio, auctis terra marique negotiis, litteris aliisque bonis artibus excultis.

Nam, post Trojanum bellum, primos mari potitos esse Corinthios dicit Thucydides, medio VIII saeculo. Samios deinde extremo, septimo Ionas sextoque ; qui opes mercatura quaerebant, divitiis affluebant. His Aeginetae Athenienses que successerunt ; alia de causa, aliisque disciplinis Lacedaemon antiquissime floruit (2). Diodorus, in eo quem digessit catalogo civitatum, quae maritimum imperium vicissim obtinuerunt, paulo plures annumerat ; qui Cypro et Naxo locum dedit (3). Atqui Corinthi Butades fuit ; Sami, Theodorus ac Telecles ; Chii, Glaucus et Melas ; Naxi, Byzes ; Aeginae, Smilis ; Athenis, Simmias et Endoeus ; Gitiadas vero Lacedaemone (4) : artem Mileti Ephesique viguisse demonstrant templa in utraque civitate ornatissima. Ut poetica laude et divitiis, ita sculpendi scientia Asiae minoris insularumque incolae omnibus antecelluisse videntur ; sed, aut sexto saeculo exeunte, aut quinto ineunte, ars apud eos paene cessavit.

Ex insula autem Naxo certissime oriundum est simulacrum a Nicandra dicatum. Brunn quidem id creticae vel peloponnesiacae arti attribuit, quoniam hic quadrata potissimum placuerit simulacrorum forma, in Asia teres ac mollis ambitus magis

(1) Cic., *Brut.*, XII, 45.
(2) Thucyd., I, 13, 14.
(3) Diod. Sic. (VII, fr. 13. Ed. Didot) ap. Euseb., *Chron.*, p. 168 sq.
(4) Cujus tamen aetas incerta est.

acceptus fuerit (1). Ego, quanquam a judice maxime subtili non sine verecundia dissentio, plus concesserim necessitudini, quae inter Naxum et insulas Asiamque interest. Est enim dialecto, cum Ionibus omnibus; Apollinis Delii cultu, cum Delo, Paro, Amorgo, Rhodo, Calymno, Co Chioque conjuncta; alphabeto, cum Ceo, Paro Thasoque, et fortasse Chio. Jam vero, ut certa cuique populo forma placuit, teres hic, illic quadrata, sic utraque, maxime initio, usurpata ubique fuit. Ubique enim in ruderibus admista jacent utriusque generis sigilla, et « *maquettes rondes* » et « *maquettes plates* » gallice dicta. Jam vero Cypri (2) simulacra ejusmodi provenerunt, et figura etiam in Assyriis statuis redit (3).

Artam Deli cum Chio et Asia conjunctionem demonstrant et Plinii testimonia, et dedicatio a Micciade et Archermo facta Deli.

Simulacra vero recentiora a bupalicis non aliena esse jam ostendi.

Praeterea, uberiore quadam mollitia et exquisita elegantia ad Asianam potissimum vergunt disciplinam (4).

Illa igitur docent quae fuerint vices sculpturae cum in asiatico littore, tum in insulis, Chio praesertim et Naxo, ab ineunte VII saeculo ad initium usque quinti.

VI

Jam videbimus quae, illis locis et temporibus illis, alienorum populorum arti auctoritas obtigerit, quatenus hujus indicia in deliacis simulacris queant deprehendi.

Principio hoc constat, Assyrios Aegyptiosque, cum omnibus

(1) *Ueber tekton. Styl*, p. 524-5 : idem Peloponnesiis et aligeram Deli statuam vindicat.

(2) Perrot, *Hist. de l'Art*, III, tabb. 196, 350. Exempla in museis maxime abundant.

(3) Simulacrum quod est Assurnazirpali, ex lapidea trabe quadrata excisum fuit, cujus figuram retinet.

(4) Furtwaengler, *Arch. Zeit.*, 1882, p. 55, p. 323. Eadem Gherardinii videtur esse sententia.

artibus, tum sculpendi praesertim disciplina floruisse, multis non modo annis, sed saeculis etiam, antequam Graeci quidquam in ea re tentaverunt. Naturae autem consentaneum est populos adhuc rudes ab iis exempla sumere, qui diutina sunt cultura expoliti. Jam formas delineare vel fingere ad delineatam exsculptamve effigiem multo facilius est, quam res ipsas et vivum exemplar imitari : quocirca consuevimus pueris artem discentibus tabulas primum aut statuas proponere. Ergo imitationem quasi necessariam judicaveris.

Immo imitatio vel cognatio quaedam saepissime est manifesta ; sunt enim in religione ac cultu multa quae Asiam redoleant; ex Asia manat ponderum mensurarumque ratio ; multa ornamentorum genera — ne dicam pleraque — seu lineis constant, seu floribus animalibusque (1); multa quoque rerum argumenta, sphinges et omnis grex ferarum portentosarum, dii deaeque monstra domantes aliaque, quae menti obvia sunt, enumerare piget, ad assyrium aegyptiumve archetypum sunt referenda (2).

Sed sculpendi ars ea est, quae diutini laboris patientiam requirat, non solo intuitu ediscatur : itaque in ea nemini copia est imitandi, nisi aliena simulacra aut in aliena terra inviserit, aut in suam importaverit, ea otiose et commodo suo examinaverit expresseritque. Rursus exempla, adulta jam maturaque arte, minus possunt.

Age, quod tempus fuit commercii, quo Graeci cum externis populis Aegypti Asiaeque sunt conjuncti, quod genus ; quaenam exempla sunt graecis artificibus proposita ?

Milesiis primum et Graecis Asiam insulasque incolentibus, qui tum navibus et mercatura praecipue pollebant, Aegyptus patuit ; non tamen ante medium VII saeculum, rege Psammeticho (3). Deinde rex Amasis fere Graecus fuit (4).

(1) Rem optime illustravit A. Dumont in secunda parte operis morte interrupti. *Les Céramiques de la Grèce propre*, II. Influence orientale. Style oriental.

(2) Overbeck, *Gesch. der gr. Plastik*, I, p. 13 sqq.; Collignon, *Manuel*, p. 21 sqq.

(3) Maspéro, *Hist. ancienne*, p. 488 sqq. ; Curtius, *Hist. gr.* (Trad. fr.), I, p. 527, sqq.

(4) Maspéro, *Ibid.*, p. 525 sqq.

Assyrii (1), Cypro domita (724-701) (2); Persae, Sardibus expugnatis (546) Ioniaque in dicionem redacta, Graecos terra marique contigerunt (3).

Cum Asianis necessarium, ut ita dicam, et sempiternum fuit consortium; quippe quod in terrarum conterminio et rerum natura positum esset (4). Lydis praesertim Lyciisque fuerunt conjuncti Graeci, tum denique Phrygibus, qui generis linguaeque socii paene fuerunt. Hi etiam populi, qui nunc Hittitae solent appellari, ad mare imperium suum protulere (5).

Phoenices, aut emendi vendendique causa, aut piscandi metallaque eruendi, omnia littora, omnes terras invisere, nonnullas occupaverunt incolueruntque (6).

Asianis Phoenicibusque duplex auctoritatis causa fuit, cum et ipsi Graecis admiscerentur, et Graecos cum Assyria Aegyptoque, etiamtum incognitis, connecterent.

Sed Asianorum obscura admodum est historia : hoc modo constat, ineunte VI saeculo, Lydos ad Graecas disciplinas jam conversos fuisse (7). Hittitae, auctore Saycio, qui gentis quasi patrinus fuit, Asiae minori sunt dominati intra XV saeculum ac tertium decimum, vel maxime duodecimum (8). Quod ad Phoenices attinet, temporum ratio ea est: post Giblitanum imperium,

(1) De foedere ob Sinopem primum conditam icto (anno circiter 785) minus constat. Curtius, *Hist. grecq.* (Trad. fr.), I, p. 519.

(2) De Cypri insulae historia vide Heuzey, *Catal.*, p. 112 sqq.; Perrot, *Hist. de l'Art*, III, p. 490 sqq.

(3) De Cyro, Maspéro, *Hist. anc.*, p. 510 sqq.; Curtius, *Hist. grecq.*, II, p. 143 sqq. Mercenarios etiam graecos sub Chaldaeorum rege militantes Ol. XLIV commemorat O. Mueller. (*Handb.*, p. 55.)

(4) Maspéro, *Hist. anc.*, p. 232 sqq. (L'Asie Mineure). Cf. Curtius, *Hist. grecq.* (Tr. fr.), I, p. 85, sqq.

(5) Sayce, *Herodotos*, (App. IV), p. 425 sqq.

(6) Maspéro, *Hist. anc.*, p. 232 sqq. (La colonisation sidonienne); Perrot, *Hist. de l'Art*, III, p. 29 sqq. Curtius, *Hist. gr.*, (Tr. fr.), I, p. 42 sqq.

(7) Maspéro, *Hist. anc.*, p. 511 ; Curtius, *Hist. grecq.*, II, p. 138 sqq.

(8) Sayce, *o. c.*, p. 426. Nomen, magis quam res, novum est. Quod ad artem pertinet, jamdudum Perrot (*Explor. de la Galatie*, 1862-72; *Mélanges d'archéologie*, 1875) doctorum animos ad sculpturae genus adverterat cum assyria, interdum etiam cum aegyptia, arte conjunctum, quod Graecis non nihil profuisse conjectatus est. Opera primum Texier delineavit (Asie Mineure) ; deinde accuratius pleniusque ediderunt Perrot et Guillaume, qui et multa nova invenerunt : horum numerus areaque nuperrime sunt aucta, tum Ramsayi, tum Puchsteinii itineribus (*Journal of hell. studies*, 1883 ; *Philol. Wochenschrift*, 1883, n. 48).

de quo nihil fere comperimus, Sidones mari sunt potiti a XV circiter saeculo ad XII; quibus Tyrii sucesserunt, ita tamen ut Aegeo mari abstinuerint, ad maris interni oras potissimum occidentales sese converterint (1). Decimo nonove saeculo Homerus Sidonibus etiamtum plurimum tribuit (2); octavo septimoque Phoenices ubique Graecis cedunt (3).

Itaque, eo tempore quo confecta sunt deliacorum simulacrorum antiquissima, cum Aegyptiis Assyriisque commercium aut nullum fuit, aut vix intercedere coeperat; qua re ingenium nihilo impeditum fuit (4). Asianorum vero Phoenicumque auctoritas, per quos Graecis et Aegyptus et Assyria innotuerunt, ad remotam antiquitatem recedebat, et jam inclinaverat: itaque Graeci potuerant ab alienis exemplis sese paulatim eximere, si quando iis fuerant subjecti, et artem in libertatem vindicare.

Praeterea commercii haec ratio fuit, ut ad statuarum fingendarum artem marmorisque tractandi scientiam parum conferret. Etenim simulacra majora lapideaque neque foris invisere, neque domi comportata accepere. Assyrii quidem Aegyptiique in alienas terras non commigraverunt; quas bellis subjecerant, eas neque incolebant ipsi, neque in unum corpus copulare aut artibus suis obnoxias facere conabantur, tributo delectuque contenti; Graeci vero, ante VI saeculum, in Assyriam Aegyptumque non influxere; mercatura sunt potissimum cum peregrinis conjuncti, et cum Phoenicibus Asianisque, et per eos cum Aegyptiis Assyriisque. Atqui mercatoribus hoc semper ingenitum fuit, ut eas modo res inferrent, quae facillime vehuntur, certissime veneunt, maximo sunt lucro. Itaque paucissimas statuas in Graeciam illatas fuisse crediderim (5), nisi amplitudine minimas, seu

(1) Maspéro, *Hist. anc.*, p. 232.
(2) De Sidonibus apud Homerum v. Dumont, *Les Céramiques*, p. 145 sqq.
(3) Curtius, *Hist. grecq.*, I, p. 48 sqq.
(4) Iisdem concludit Wiedemann commentationem inscriptam : « *Die ältesten Beziehungen zwischen Aegypten und Griechenland* », 1883.
(5) Nullas fere in auctoribus invenio, quae ad Aegyptios Phoenicesve sint relatae. Aegyptias nuncupat Pausanias quasdam, I, 42, 5; II, 19, 3; IV, 32, 2; VII, 5, 5 (quae quidem hoc loco est a Phoenicibus ad aegyptium exemplar confecta esse videtur). Phoenicibus aliae quaedam minores tribui solent (Pausan., III, 24, 5). Cf. aureas Veneris statuas Mycenis inventas, et rudes imagines mulierum, manibus in ventrem reflexis stantium, in Cycladibus saepius repertas.

viles et populo accommodatae, seu metallo pretiosae et principibus destinatae fuerunt. Res maxime necessariae, ad victum, amictum, supellectilem pertinentes, comportabantur (1). Quocirca exempla ea defuerunt, quae describi omnino potuissent, sculptorum libertatem oppressissent : sed peregrinorum operum, quae suppetebant, materies, amplitudo, genus, artificium alia fuere, alia graecorum simulacrorum ; fuere igitur exempla immutanda, transferenda, accommodanda (2).

Eodem ferebat indoles cujusque artis et natura operum, quae fuit populo cuique maxime accepta. Nam statuas Assyrii vix effecerunt, anaglypta praetulerunt; Asiani vivam potissimum rupem scalpebant; Phoenices opificio magis quam arte et sculptura pollebant : aes imprimis subigebant — est enim Sidon dicta πολύχαλκος —, lignum et argillam magis quam lapidem tractabant, marmor omnino neglexerunt; jam in omni genere supellectilis excelluerunt, paucas statuas finxerunt. In Aegypto cum abundarent simulacra, ea, aut pondere incommoda, aut vultu vestituque diversa, aut aliam religionis disciplinam secuta, foris minus venibant.

Hoc etiam libertati graecorum artificum favit, quod cum Phoenicibus Asianisque potissimum rem habuerunt, artis ab assyria et aegyptia deflexae mistaeque exemplum nacti sunt, non ejus, quae singulari charactere ingenium moveret illudque vi, ut ita dicam, imperiosa domaret.

Neque ipsi Graeci in informanda sculpendi arte peregrinis multum tribuerunt. Philosophos enim et legum latores Aegyptum invisisse ferunt, non vero artifices, si fabulas a Diodoro (3) collectas exceperis (qui quidem non Graecorum opinionem, sed aegyptiorum sacerdotum sententiam retulit). Nisi apud Diodorum Pausaniamque (4), non invenias artem ex Aegypto ma-

(1) Haud absonum est referre imitationem in rebus ad supellectilem pertinentibus maxime deprehendi, in sculptura potissimum obscuram esse.

(2) Itaque crediderim in hoc genere hanc veram esse sententiam : Les Grecs reçurent des étrangers des *suggestions*, plus encore que des *modèles*.

(3) Diod. Sic., I, 97 : praeterea recentissimus est auctor, Augusti aequalis.

(4) Qui quidem Hadriani aetate scripsit, qua consuetudo ad Aegyptiorum imitationem est conversa.

nasse; de Assyria omnes reticent. Neque Homerus, cum merces a Sidonibus illatas numerat, simulacra iis admiscet; neque Herodotus aegyptia assyriave simulacra in Graecia fuisse (1), aut graeca simulacra illis cognata fuisse dixit.

Huc denique accedit quod, nostris temporibus, antiquissimarum urbium solum, in Graecia, insulis, asiatico litore, rimati, multa repperimus, quae ad peregrinas artes referri deberent, simulacrum vero nullum.

Si recte historiam intellexi, auctorum testimonia, investigationum argumenta sum interpretatus, jam de simulacris deliacis habes quasi praejudicium.

In sculptura enim, magis quam in ulla alia disciplina, Graecorum ingenium sese libere ac sincere habuit, tum in marmore sculpendo praesertim et statuis majoribus effingendis. Cujus quidem rei causae fuerunt, aut tardum, aut praematurum cum cultioribus populis commercium, aut alienorum simulacrorum penuria, aut cognitorum operum natura.

Quamobrem Graeci, quanquam a ceteris populis multa desumpserunt, nulli sese subjecerunt. Ut prima laboris rudimenta instrumentaque acceperint, typos etiam interdum sint imitati; ut, quae est Curtii opinio, ipsam deorum fingendorum cogitationem a Phoenicibus sint mutuati, suum cursum primo statim ab initio tenuerunt suamque munierunt viam.

Ergo in simulacris deliacis alienae auctoritatis indicia inesse quaedam, sed Graecum ingenium plurimum potuisse crediderim.

Jam simulacra ipsa inspiciamus perpendamusque.

Principio pauca praemittam, quae ad omnia spectant.

1. Cum seriem efficiant deliaca simulacra tam apte cohaerentem, ut aliud ab alio procedere atque oriri videatur, aut omnia oportet ex aliena auctoritate pendere, aut nullum : quae, si media tantum serie intercessisset, tenorem intercepisset juncturamque dissolvisset.

2. Nullum ex omnibus alieno exemplo omnino assimilatum atque obnoxium invenias; verum, ubi maxime cognatio deprehenditur quaedam cum aegyptia, assyria, phoeniciave sculp-

(1) Si excipias ea quae Amasis Lindi aliisque in locis dedicavit.

tura, apparet manifesta non figurae modo, sed naturae ipsius diversitas.

3. Deliaca simulacra sunt undique soluta conspicuaque; ad hoc igitur sculpturae genus pertinent quod «*ronde bosse*» dicitur, quodque Aegyptii ad perfectionem non absolverunt, Assyrii perraro tractaverunt.

4. Deliaca simulacra ab alienis materia differunt; qua re artificii ratio, effigiei etiam aspectus non leviter immutatus est.

5. Ingenii vim ea declarant, quae a peregrinorum artificum indole omnino abhorret. Quae naturae docilem se praestat, naturam ad pulchritudinem flectit; singula verissime imitatur, sed totum ponere imprimis cogitat, singulorum obsequium ac concinnitatem temperat; ac, dum typos fideliter observat, eos ad perfectionem usque absolvit. Acris, indefessa, audax, cogitando atque efficiendo nova melioraque usque sectatur.

6. Sunt similitudines quaedam, quas communis inscitia gignit potius quam imitandi studium; ut habitus vestisque rigor, ut in capite aurium inepta collocatio, etc.

In simulacris quattuor praesertim sunt consideranda : vultus, gestus habitusque corporis, vestimenti genus, artificii ratio. Quae, et in recenti, et in antiqua serie examinabo; cum peregrinae cujusque artis operibus vicissim conferam.

Ut ab Aegypto exordiar, quis, ubi primum Nicandraeam statuam adspicit, hanc aegyptiae simillimam non putet? Sed diligentius examinanti apparebit, similitudinem omnem in comptu sitam : qui vana specie deludit; non enim capiti impositum est, tegmen illius generis, quod Aegyptii «*klaft*» dicebant; sed coma in humeros diffusa est, quae, et inscite facta, et terendo elisa, textilis magis quam capillorum naturam imitatur. Quam tamen declarant cincinni quattuor utrimque fluentes et orbes circum delineati, quibus mollitiem comae exprimere artifex conatus est. Ceterum nulla cognationis indicia invenio, nisi ea quae in immobili quoque ac rigenti simulacro occurrant. Res facillime demonstrabitur, si caput occultaveris ; jam nihil, ut opinor, supererit, quod ad Aegyptum referas.

Immo Maspero, non litterarum modo eruditus cognitor, sed artis teres judex, his fere descripsit Aegyptiorum habitum, cum antiquorum simulacrorum auxilio, tum ad eorum qui nunc sunt hominum exemplar. «Caput, inquit, majus esse solet quam

pro reliquo corpore, frons quadrata et humilis, nasus brevis atque simus, grandes oculi et aperti, pleniores genae, labra tumentia, quanquam non retro flexa; os, paulo amplius, non sine tristitia quadam subridet (1). » Praeterea capitis figura rotunda plerumque est.

In deliaco simulacro II plane aliam mensuram aliamque figuram agnosco; caput minus vero, non orbe circumscriptum, sed ovatum et sublongum. Singula conferre non licet; sed cetera simulacra copiam faciunt. Nam illius, quod III numeravi (tab. II), caput amplitudine Aegyptiis propius, sed figura idem diversissimum : cujus nasum longum fuisse, os minutum, genas ossibus jejune adstrictas Reinach et Hauvette affirmant. Hoc etiam cum graeca ratione congruit, ab aegyptiaca differt, quod extrema labra sursum sunt adducta; vultus, cum risu sit mitigatus, admiranti similis potius quam dolenti est. In novissimo capite (Tab. V), discrimina manifestius etiam apparent; quod nec structura, nec lineamentis, nec mente quantulamcumque cum Aegyptiis exhibet similitudinem. Alatam quoque virginem operae pretium est proferre, Micciadis opus Archermique, cujus facies ambitu sicca jejunaque, obliquis oculis, recto quadratoque naso, alta fronte, ore modico, curvatis labris conspicua, ab unaquaque descriptionis parte discedit. Cum rideat et ipsa, risu longe aliam mentem significat, habet enim nescio quid lepidi festivique.

Habitus autem corporis is est, qui in antiquissima sculptura ubique redit : nam immobile corpus solidumque, ut ita dicam, simulacrum aut excogitatur, aut effingitur facillime. Praeterea omnes fere populi motus exprimendi pericula eadem fecerunt quae deliacae statuae ostendunt, manibus aut pectori impositis, aut protentis. Quam disciplinarum communionem communis quaedam necessitas, ex natura materiae ac laboris genere orta, et logicus ingenii processus magis gignit, quam mutua imitatio.

Ubi primum, collecta tunica adductoque pallio, brachiis molliter inflexis et alterna ratione compositis, et suo quoque operi deditis, gestus vere inventus est, qui non corporis modo mobilitatem, sed et animi indolem indicaret, cum illa elegantia,

(1) Maspéro, *Hist. anc.*, p. 16.

libertate, significatione; nihil est jam quod conferas in infinita Aegyptiorum simulacrorum caterva.

Neque tunicae mollem subtilitatem, pallii amplissimi multiplices sinus, vestis elegantem compositionem illic invenias; nudi praeter angustam « *schenti* » homines; mulieres tunica tantum sunt indutae. Quod Delia Diana tunicam interdum solam gerit et ipsa, hoc consuetudini Graecorum, non imitandi studio tribuendum est; namque apud antiquos populos amictus ille plerumque usurpatus fuit. Jam aegyptiaca tunica brevior esse solet, quae pedes non obtegit ac ne attingit quidem; angustior quoque fuisse videtur et corpori adstrictior. Quae praeterea non, zona succincta, adstringitur; sed uno tenore defluit (1).

Verum imitationis suspicionem imprimis removet statuarum informandarum ratio ab aegyptia disciplina aliena, hac, vel in antiquissima serie, fere jam liberior. Nam, si exceperis signa aut humana magnitudine minora, aut quae e cretaceo lapide, ligno, aere facta sunt, primis imperii temporibus pleraque suppavia, rarissimae in Aegypto occurrunt effigies quae vere statuae haberi possint, eas dico quae sint ab omni materiae vinculo expeditae. Sed artifices, quippe qui lapide potissimum praeduro uterentur, simulacrorum terga pilis applicabant, nec pedum intervallum cavabant; nec quod vacuum est inter brachia lateraque spatium terebrabant (2). Atqui rudis ille sculptor, qui Nicandrae jussu Dianam effinxit, marmoris natura adjutus, plus ausus est, ad sculpturae finem propius accessit. De recentioribus simulacris non loquor, re admodum manifesta.

In exprimenda autem veste, priusquam ad optimam rationem ventum est, et justa individuaque societate corpus vestisque sunt conjuncta, duae rationes viguerunt : nam vestis, aut rigenti vaginae similis, corpus occultabat, aut, corpori adstricta obnoxiaque, illud sic ostendebat, ut nudum esse videretur. Ad hanc Aegyptii magis inclinaverunt; illam antiquissima Deli

(1) Perrot, *Hist. de l'Art*, I, tabb. 37, 40, 50, 88, etc.

(2) Perrot, *Hist. de l'Art*, I, tabb. 460, 462, 468, 479, 481, 484. Quas temere assumpsi, ita tamen ut diversorum imperii artisque temporum quasi specimina forent. — Etiam in calcariis simulacris mos idem interdum obtinet (*Ibid.*, tabb. 437, 445). Auctor ipse rem fusius tractavit in capite « Des principales conventions de la sculpture égyptienne » et praecipue p. 760 sqq.

simulacra sectantur. Graeci, omnium primi, subtilem textilis naturam, corpori docilem, membris ac motu intricatam imitari didicerunt (1); qua re simulacra Deli recentiora ab aegyptiis maxime differunt. Furtwaengler quidem opinatur (2), cum aliis doctis, alteram rationem ab Assyriis, alteram ab Aegyptiis accepisse Graecos; sed utramque mistam mature invenio; in utraque vestis generi ac consuetudini nonnihil concedendum esse reor, gestui etiam aliquid.

Discrimina igitur video, quae sunt plurima gravissimaque, nullam penitus cognationem necessitudinemque video. Haec de statuis tunicatis palliatisque; sed in nudis hominum simulacris Graecos, ut quidam arbitrantur, imitationis reos manifesto deprehendimus et quasi confitentes habemus. Qui utramque artem vel in singulis ac minimis congruere contendunt, corporis immobilem statum commemorant, brachia pendentia et lateribus affixa, manus occlusas et femori appositas, crura plus minus divaricata, sinistrum pedem promotum, soleam utramque solo affixam; addunt humerorum latitudinem, coxarum angustias, pectoris pleniorem ambitum, pedes tenues planosque et digitis praelongis praeditos; ne plura, furti Graecos tantum non insimulant (3).

Equidem non referam ea quae de necessario quodam similitudinum genere dixi; non liberiorem Graecorum artificum audaciam rursus notabo, quanquam est in istiusmodi simulacris praesertim conspicua; sed una res est quae me maxime moveat, corporum scilicet absoluta nuditas. Quae non aliam modo morum consuetudinem, aliud de eo quod decet judicium patefacit; sed diversum plane ingenium diversamque de arte ac pulchritudine sententiam ostendit. Namque intellexerant Graeci humano

(1) Heuzey, *Catalogue des figur. du Louvre*, p. 83. « On voit de bonne heure des modes élégantes de coiffures, des ajustements d'étoffes drapées que l'ancien art égyptien et oriental n'a pas connus, mais qui appartiennent, au contraire, à l'usage grec, surtout à celui des Ioniens de l'Asie-Mineure ». Cf. p. 222. « Un dernier perfectionnement... que ni l'art égyptien ni l'art assyrien n'ont jamais connu : c'est le jeu des draperies. »

(2) *Mitth. d. D. A. Inst. in Athen.*, VI, p. 180 sqq. Quin etiam ab aegyptiaca disciplina pendere opinatur deliaca simulacra, quae sunt recentiora, ob adstrictam in cruribus tunicam (p. 183).

(3) De hac hypothesi disseruit Overbeck in *Gesch. der gr. Plastik*, I, p. 11 sqq.; qui et auctores in notis libro I adjectis recenset.

corpore nihil magis accommodatum esse sculpturae, nihil praestantius.

Jam vero de corporis indole videndum est quid, natura duce, uterque populus sponte potuerit invenire, quid ex alienis exemplis desumptum necessario videatur. Atqui Graecorum gens latis humeris insignis, tenui ventre, largo pectore ac tumenti; pedes vero multum et sine calceo peragrantibus longiores, tenuiores planioresque fiunt; sicquoque crurum nervi musculique indurescunt atque eminent. Sed conformatio ipsa ac structura corporis non parum differt: Aegyptii magis ad rotundos circuitus, Graeci ad quadram potius figuram vergunt; partium symmetriam aliter alii concinnant; pectoris atque umbilici effingendi alia ratio; denique hoc proprium est simulacrorum graecorum, quod clunes in iis prominent, in aegyptiis vero minime. Qui quidem aspectus adeo naturae respondebat, ut in simplicibus vasorum pictorum imaginibus perridicule amplificaretur.

Vultum mitto; de gestu pauca dicam. Praecipuum enim ac certissimum imitationis hoc argumentum esse videtur, quod pes idem, sinister scilicet, in aegyptiis graecisque simulacris est promotus: quinetiam hic habitus a Graecorum usu atque religione dissidet, qui faustum esse credebant ut dextro pede ngrederentur (1). Verum supra jam animadverti simulacra non moveri, sed stare, non incedere, sed ingressura esse; jam, si dextro pede paras incedere, aut junctos esse pedes ambo, aut sinistrum promotum esse oportet, quo interim insistas. Quocirca gestus separatim in utraque arte potuit inveniri. Ea quoque causa est cur, in utraque, soleae ambae solo sint affixae.

Itaque, cum propius penitusque inspexeris, imitationi multum adimes, quod dederas prius: hoc quidem propositam de simulacris deliacis opinionem confirmat.

Sed tamen esto; Graeci utrumque typum ab Aegyptiis adsumpserint, artificii rationem didicerint; erga praeceptores suos tam libere igitur se gesserunt, ut proposita exempla paene in omnibus immutarent, praecepta perraro sequerentur, saepis-

(1) Id ex Vitruvio colligo, qui ita scripsit (III, 4): « Gradus in fronte (templorum) ita constituendi sunt, ut sint semper impares; namque, cum dextro pede primus gradus ascendatur, item in summo primus erit ponendus. »

sime negligerent. Nunquam, ut solent discipuli adhuc rudes, operi sese addixerunt alieno, quod describerent; verum si quid novi optimique ubicumque occurrebat, cogitationem meram percipiebant, deinde suo more ac suo commodo compositam exprimebant. Ingenio vero, et facultate ab Aegyptiis admodum differebant.

Apud Assyrios, quamvis rarissimae statuae provenerint, conferendi tamen materiem invenias. Nam duae quae supersunt, humanae magnitudini vel pares, vel proximae, Nebo scilicet deus et rex Assurnazirpal (1), — quanquam homines, non mulieres effinguntur, — cum Nicandraea Diana habent similitudinem quamdam.

Superna quidem pars corporis omnino differt; sed inferioris descriptio eadem est (2). Nam, cingulo stricta, tunica coxarum orbi sese accommodat; deinde recta linea ad imos defluit pedes, deorsum versus paulatim dilatata; crura vero, velut ferreum involucrum, obtegit atque dissimulat, et nullo sinu corrugata, riget. Item corporis attenuatam crassitudinem licet animadvertere, et vaginae quadratam figuram, angulis tantum hebetatis. Haec omnia cum delio numini, tum assyriae effigiei conveniunt. Item conficiendarum statuarum eadem fere ratio fuit, quae e quadrata trabe caedendo sunt exsculptae (3). Assurnazirpali imago ad columnam magis redit; tamen rigore vestis et inferioris statuae descriptione similis est.

Rursus in Museo Parisiensi habemus sigillum aëneum, cui regis Koudour-mapouk nomen inscriptum est, XVI a. C. saeculo fere suppar (4) : virgo canistrum capiti impositum utraque manu sustinet. Truncus nudus est et ad naturam expressus; inferior pars, tunica, ut videtur, rigenti involuta, teretem columnae, vel potius fusi formam imitatur; ita ut simulacri V memoriam revocet.

Recentiorum Deli simulacrorum cum arte Assyria nulla est cognatio, nisi quod vestis illa subtilis crispaque interdum illic invenitur et eadem ratione est expressa (5).

(1) Perrot, *Hist. de l'Art*, II, pp. 85, 536; tabb. 15, 250.
(2) In tabula scilicet 15.
(3) Nam cum basi quadrata etiam nunc statua cohaeret.
(4) Perrot, *Hist. de l'Art*, II, p. 530, tab. 243.
(5) Perrot, *Hist. de l'Art*, II, tab. 71 ; cf. p. 38, tab. 3.

Vestimenti enim genus parum differt : quod tunica talari ingentique pallio constat; thorax interdum laneus adjectus est; pallium e lana confectum (1). Alias tunica brevis occurrit, a bellantibus aut venantibus plerumque gestata, quae et succincta solet esse, qualem Graeci saepius tribuunt iis, qui cito impetu feruntur (2). Praeterea textilis idem genus ; tunicae latus clavus praetextus est (3) ; manicae breves cubito tenus sunt adjectae. Jam comptus, et cidaris vel diadema, quo caput est redimitum, et alia ornamenta obvia sunt (4).

Denique in corporis natura exprimenda, eadem fere Assyriis orientalibusque Graecis placuit ratio; utrique ad pleniores uberioresque formas inclinaverunt. Quae cognatio in milesiis statuis praecipue elucet (5), tum in deliacis etiam apparet.

Sed videbimus quantum similitudini concedere debeamus. Quod, in vestiendi comendique genere, artifices graeci assyriique inter sese concinunt, nulla alia causa est nisi quod utraque natio eadem vestimenta eademque ornamenta usurpavit. Nec mirum, cum Phoenices textili fabrilique arte excelluerint, merces suas in omnes regiones intulerint, Graecis pariter Assyriisque vendiderint; qui et in Graeciam Assyriorum opera comportaverunt. Sed tamen aut simplices inornatasque vestes praetulerunt Graeci, aut cultus apparatum simpliciter in statuis expresserunt, seu singula negligebant, seu coloribus tantum depingebant. Jam componendi amictus plane alia ratio fuit apud utrumque populum et in utraque arte.

Coma longiore, in humeros tergumque effusa, cincinnis eleganter calamistratis Graeci gloriabantur : hoc fuit apud eos deorum mortaliumque, virorum feminarumque decus. Quamobrem saepissime apud Homerum occurrunt verba ἀκερσεκόμης, καλλιπλόκαμος, καρηκομόωντες, ὄπιθεν κομόωντες, χαίτης εἰλυμένος ὤμους, etc. (6).

(1) Herodot., I, 195 ; cf. Perrot, *Hist. de l'Art*, II, p. 510 sq.
(2) Haec operis militibusque convenit. Perrot, *Ibid.*, tabb. 152, 220, ne multas numeraverim. Hac rex ipse utitur, *Ibid.*, tab. 5.
(3) De textili, Perrot, tab. 71. — De clavo, Perrot, *Ibid.*, tabb. 255. Manicarum forma eadem est ubique, Perrot, tab. X.
(4) Quod viri mulieresque gerunt, ut rex, regina ministrantesque viri (Perrot, *Ibid.*, tabb. 27, 28), ut mulieres psallentes canentesque (*Ibid.*, tab. 157), eademque in tabula, milites.
(5) Quos vide apud Newtonium « *Discoveries* » ; Chares a Rayeto mirum in modum expressus est in *Milet et le Golfe Latmique*, tab. XXV.
(6) Helbig, *Das homerische Ep.*, p. 162 sqq. (Die Kosmetik). Pottier in Daremberg et Saglio, *Dictionn.*, s. v. Coma, p. 1355 sqq.

De corporis ubertate quid utriusque populi naturalis indoles efficere potuerit non liquet; cui tamen plurimum tribuam. Sunt autem in sculptura, ut in eloquentia, genera duo, alterum pingue atque adipatum, siccum alterum jejunumque. Ut Graeci Asiam habitantes redundantem magniloquentiam praetulerunt, sic laetiorem in sculpendo ubertatem, credo, adamaverunt. Quod quidem studium adeo in omnibus locis omnibusque operibus eminet, ut ingenio insitum, non imitatione partum videatur.

Jam vero partium compositio in collatis operibus non concinit. Quid quod singulis nimium dant Assyrii, Graeci operis summae singula prudenter subjiciunt? Apud quos nervorum duritiem ac tumorem non reprehendas, quae in sculptura assyria offendunt; non assurgentia supercilia invenias (1). Vultus pars ea est quae maxime differt, quoniam artifices hinc atque hinc civium suorum faciem imitabantur.

Sed, in iis quoque quae maxime concinunt, multa materiae natura, multa laboris commoditas utrisque similiter injunxit potius, quam imitatio assimilavit.

Hoc denique memoria tenendum est, statuas in Assyria rarissimas esse (2); mulieres ab universa sculptura fere abfuisse (3); deas, si quae occurrunt, nudas ostendi (4). Itaque aut nulla exempla suppetebant, aut paucissima, et quae contrariam rationem exhiberent.

Quare non negaverim quamdam esse deliacarum statuarum cum assyriis cognationem; iis etiam plus auctoritatis quam aegyptiis concesserim; sed, cum rationem habeo similitudinum quae quasi necessariae sunt, cum reputo Graecos nihil assumpsisse, quod non in aliam sculpendi disciplinam, aliam mensuram, alias formas, aliosque typos transtulerint, liberam sinceramque industriam magis admiror, quam docilem imitationem deprehendo.

Immo simulacrum illud inchoatum ac rude, quod Nicandra dedicavit, statuis assyriis jam praestat, maturae et prope senescentis artis operibus. Est enim expeditius et magis sculpturae

(1) Haec tamen notantur in cypriacis simulacris.
(2) Perrot, *Hist. de l'Art*, II, p. 539 sqq.
(3) Perrot, *Ibid.*, p. 700-702.
(4) *Ibid.*, tabb. 16, 228, 231, 232.

legibus ac naturae accommodatum, oculis denique ferme gratius. Quanquam a vita et arte etiamtum longe distat, tamen utraque in illa jamjam praesentitur. In hac re gaudeo Brunnii auctoritate confirmatam esse conjecturam meam ac judicium (1).

Vides quantum Aegyptiorum Assyriorumque auctoritatem imminuerim; jam ad Phoenices Asianosque veniamus. Res fere eodem redit, cum Asiani assyriae disciplinae maxime fuerint obnoxii, Phoenices aut alterutram artem imitati sint, aut utramque miscuerint.

In asiatica quidem sculptura nihil occurrit, quod opportune cum deliacis simulacris contulerim; in phoenicia plus est commorandum.

Nam apud Phoenices diu lapidum cultus obtinuit (2); lapides ad humanam speciem paulatim accommodati fuerunt (3); Phoenices et nudas dearum effigies finxerunt (4), et tunicatas palliatasque (5), deliacis similes, ex argilla fecerunt saepissime. Quae gestum mulieris tunicam colligentis, aut pallium adducentis (6) interdum referunt, vestis subtilitatem sinusque imitantur. In his quoque brachia aut lateribus affixa pendent, aut pectori incumbunt, aut protenta sunt. Itaque simulacrorum informandorum eamdem rationem fuisse dicas quam deliaca simulacra exhibent, eosdem typos placuisse.

Sed de aetate, de origine etiam multorum ambigitur; jam eorum, quae maxime perfecta sunt, archetypum Phoenices non in Graeciam intulisse, sed ab Graecis accepisse docti nuper affirmaverunt (7).

(1) Postquam Nicandraeum simulacrum cum assyriis statuis cognationem quamdam habere animadvertit, quae « mit langem faltenlosen Gewande bekleidet sind », haec addit: « Sie sind jedenfalls von einem weniger primitiven Charakter als die letzten (die statuen von Delos); ja in ihren dekorativen Details verräth sich sogar eine bereits alt gewordene Kunstübung. Und doch wirken sie als schwere Massen, denen das Verständniss der Grundbedingungen statuarischer Bildungen völlig abgeht... » (*Ueber tekton. Styl*, p. 513.)

(2) Perrot, *Hist. de l'Art*, III, tabb. 19, 28, 223, etc.

(3) *Ibid.*, tabb. 58, 338, cf. 14, 29.

(4) *Ibid.*, tabb. 150, 291; cf. Cypri, *Ibid.*, tabb. 375, 379, 380, 381, 382.

(5) *Ibid.*, tabb. 142, 345.

(6) Heuzey, *Catal. des figur. du Louvre.* — Phénicie, nn. 209-210 (tab. XII, 5), 211, etc.

(7) Quam opinionem primus Heuzey professus est in *Catalogo*, p. 82

Itaque, cum certissimum sit Graecos a Phoenicibus mutuatos esse non nihil, quatenus ex Phoenicum exemplis pendeant deliaca simulacra definire difficillimum est.

Jam totius capitis haec sit conclusio :

Deliaca simulacra e tribus causis exstiterunt, lapidum arborumque reverentia, naturae ac vitae sincera, docili, prudenti imitatione, alienorum exemplorum libera parcaque accommodatione.

A lapidibus et arboribus aut teres aut quadrata figura est assumpta; sed symbolorum fere nihil nisi vaga incertaque vestigia deprehenduntur.

Ab externorum populorum operibus et exemplis aliquid depromptum est, sive sculpendi disciplinam, sive simulacrorum habitum spectes; sed in nulla parte servilis est imitatio, et descriptioni similis; immo saepissime tam libera est obscuraque, ut quid illi tribuamus dubitemus. Natura fuit sculptorum exemplum ac moderatrix; fuit dux ingenium veritatis mire studiosum, pulchritudinis intelligentissimum amantissimumque.

sqq.; postea et Dumont (*Journal des Savants*, 1884, p. 169), et Perrot (*Hist. de l'Art*, III, p. 471 sqq.) amplexi sunt.

CONCLUSIO

Cum prooemio totius disputationis rationem explanaverim, cujusque capitis summam collegerim, licet paucissimis concludere.

Primum igitur hoc convenit, Deli inventa esse simulacra, quae inter sese loco, artificio argumentoque sint cognata ; ex his genus constare, quod in duas series divisum sit, recentiorum alteram, alteram antiquissimorum; cum media sit inter utramque lacuna, eam facillime et certissime suppleri ; haec denique simulacra typi efficiendi perpetuam continuationem, disciplinae informandae diutinum processum ostendere.

Deinde in simulacrorum significationem, typi naturam, generis nomen indagavi ; deam effictam esse judicavi ; Dianam eam nuncupavi. Dea habitu insignibusque patuit ; Diana, titulorum testimonio aut simulacris inscriptorum, aut cum illis una inventorum, et possessione loci in quo simulacra jacebant, simulacra sibi vindicavit.

Postremo typi originem ac vices inquisivi ; simulacrorum aetatem ac patriam definire sum conatus ; cognationem eorum cum operibus aliorum populorum perpendi.

Typi informandi haec ratio fuisse mihi visa est. Primum imago quaedam ex rudi symbolorum specie orta est, e lapidibus scilicet arboribusque sacris, quae numen antiquissime significare ac recondere credebantur. Postea elaboratum est, ut aspectus vere humanus fieret ; corporis structura concinnaretur, mobilitas ac vita exprimeretur ; ingenii mens ipsa ostenderetur. Nec vesti studium piguit impendere, ut subtilis tractabilisque

trama effingeretur : simul ad pulchritudinem nisum est gestus elegantia, amictus comptusque munditiis, totius praesertim operis symmetria et apta partium compositione.

De aetate et patria simulacrorum haec constitui : deliaca simulacra inter VII saeculi initium quintique confecta esse; unum, cui dedicantis nomen ac patria sunt inscripta, e Naxo oriendum esse; cetera aut e graecis Asiae civitatibus, aut ex insulis locisque ubi ionica vel asiatica sculpendi viguerit disciplina.

Utramque conclusionem confirmavi iis, quae aut fabulis historiisque sunt tradita, aut monumentorum fide sunt demonstrata.

De imitatione duplex fuit disputandi ratio, duplex concinensque secum conclusio.

Primum, pauca quaedam praefatus de tempore ac genere commercii quod Graecis cum peregrinis interfuit deque graecae artis cum aliorum populorum artibus cognatione, inde haec colligenda esse existimavi : in sculptura, ea praesertim quae e marmore fit et in statuis exercetur, ingenium graecum sese liberius extulisse, magis sui juris fuisse quam in ulla alia disciplina.

Deinde cum peregrinis operibus simulacra deliaca singillatim contuli. Quae non imitatoris accuratam inepte religionem ostenderunt, sed prudentem artificis facultatem, qui sui artisque suae esset compos. Ille enim, naturae ante omnia docilis, veritatem sectatur, consuetudini obtemperat, singula diligenter imitatur ; pulchritudinis etiam mente informatam speciem quamdam effingere conatur. Si quid ex alienis exemplis assumit, id aut traditum immutatumque diutino labore accepit, aut summa cum libertate elegit, tractavit immutavitque ipse; id, aut aliorum, aut ipsius opera, industrie a peregrina ad graecam rationem adductum est. Ergo, quemadmodum recentiora simulacra sincere graeca jam sunt, sic in antiquissimo jam praesentitur liberior et in cogitando et in efficiendo audacia, sculpturae prudentior intelligentia. Denique alienae auctoritatis vestigia inveni: sed me, inde ab origine, graecae libertatis indicia maxime moverunt.

INDEX CAPITUM

INDEX TABULARUM

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

a. d. V Id. april. anni MDCCCLXXXV

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR.

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

SAINT-QUENTIN. — IMPRIMERIE J. MOUREAU ET FILS.

ADDENDA ET CORRIGENDA

P. 20, l. 34 initio, ubi *tafixa*, lege *affixa*.

Ibid., l. 35 initio, ubi *fori*, lege *tori*.

P. 27, n. 3. Inter urbes, in quibus spirae inventae sunt, adnumeranda est Corneto (Ghirardini, *Notizie degli scavi di antichità*, April. 1882, p. 196). Cf. Helbig, Sopra il trattamento della capellatura all'epoca omerica, in *Comment. phil. in honorem Mommseni*, p. 619, tabb. 1-6.

P. 33. De amictu Graecorum nuperrime scripsit Boehlau, *Quaestiones de re vestiaria Graecorum*, Wimariae, 1884.

P. 43, l. 6-7, linea — copulanda est utraque pars verbi *ana thema*.

P. 45, n. 1, lege *Akad. Abh.*, I, p. 258.

P. 50, l. 5, post verba *expeditior accinctus* supprimenda est virgula, item post verbum *alacritati*.

P. 60, l. 1, lege *loca perlustrantem :..*

P. 75, n. 5, lege *die Cultusbilder waren, von...*

P. 77, n. 1. Omissa sunt sigilla Tegeatica, de quibus vide Martha, *Catalogue des figurines en terre cuite du Musée de la Société archéologique d'Athènes*, 1880, nn. 541-558. Cf. Lenormant, *Gaz. archéol.*, 1878, p. 44 sqq.

P. 81, l. 7, l. 10, lege *nicandraeo*, *nicandraea*.

P. 89, l. 29, lege *rettulit*, aliisque locis ubi idem verbum occurrit.


P. 95, l. 22, lege *ingrederentur*.

Pl. I



Héliog. Dujardin, Paris


Tab. II



Tab III.



Tab. IV



I



II



Heliog. Dujardin. Paris

Tab. V

Tab VI



Tab.VII[a]



Heliog Dujardin. Paris

Tab VII[b]



Heliog. Dujardin. Paris

Tab. VIII



Heliog. Dujardin. Paris

Tab. IX^a



Heliog. Dujardin. Paris

Tab IX^b



Heliog Dujardin, Paris